







EN

QV

Ra
De c
de

De
ALE

SS.

HIV
Met
C

Agd

VEN

A
T62i
1678.

SACRVM
ENCHIRIDIVM

EA,

QVÆ AD SACRIFICIVM MISSÆ
spectant, ob oculos ponens.

Rubricas Missæ privata elucidans,

De celebratione coram SS. Sacramento
de eiusd. Expositione, & Depositione,

ET

*De Cultu SS. Crucis exhibendo
pertractans.*

Denique coronant Opus Decreta

ALEXANDRI fel. rec. PAPÆ VII.

Et Edictum

SS. D. N. CLEMENTIS IX.

De celebratione Missarum.

ACTORE

HIPPOLYTO TONELLIO

Metropolitanae Florentinae Beneficiato,

Congr. Iesu Salvatoris Presbyt.

Proth. Apostolico, & Sacrae

Theologiae Doctore.



VENETIIS, MDCLXXVIII.

Apud Sebastiani Coelii.

Superiorum permissu.

Silva



ne
rib
me
Sa
Sa
M
ad
&
qu
be
Sa
lic
co
lo
qu
en
de
fi
ni



A D LECTOREM.



Verbum *Æ*ternum, quod linguas infantium facit esse disertas, per Prophetam suum *Oseam* cap. 4. ita locutum est: *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Cuius Terribilis Sententiæ ad euitandum discrimen: quid potissimum præstare debent Sacerdotes, nisi, ut ea, quæ ad præcipuum Sacerdotij munus, hoc est ad Sacrificium Missæ ritè peragendum spectant, sedulò addiscant? Hinc factum est, ut ad alienam, & propriam utilitatem Libellum hunc, qui ad instar Enchiridij præ manibus haberi possit, conscripserim. In eo, quæ ad Sacras Cæremonias pertinent, ex nobilioribus earum Magistris: quæ verò ad conscientiam, ex magni nominis Theologis sumpsi. Si quando benigniorem sequi opinionem me videris, ne factum credas ad reuerentiam tanto Sacrificio debitam minuendum, sed eò prorsus consilio, ut, quando se se casus obtulerit, benignè se fretus opinione potiùs celebres,

quàm strictiorem nimis religiosè secu-
tus à Sacro peragendo abstineas . Si mul-
ta adhuc in hoc Libello desideres , velim
sis memor , *Iliadem vix posse in nuce* . Si
quid erit , quod placeat , fruire : si quid
minus , æquo animo sustine , & boni con-
sule , contentus accipere *pro re nitorem ,
& gloriam pro copia* .

*Ad intelligentiam sequentium carmi-
num , sciendum est , Auctorem in prima
editione dictum esse Theophilum Pitonil-
lum .*



I N D E X
LIBRORVM, CAPITVM,
ET PARAGRAPHORVM.

Quæ in hoc Opusculo continentur.

L I B E R P R I M V S.

*In quo præmittitur explicatio eorum, quæ
ad Sacrificium Missæ necessaria sunt.*

C A P V T P R I M V M.

De ijs, quæ spectant ad ipsum Sacerdotem celebraturum.

- §. 1. **D**E obligatione celebrandi, & Confessione præmittenda. pag. 1.
§. 2. Quando liceat sine præuia Confessione celebrare. 2
§. 3. De Ieiunio naturali ad celebrationem requisito. 13
§. 4. De eo qui dubitat, an sit ieiunus. 18
§. 5. Qua hora incipiat ieiunium. 19
§. 6. Quando non ieiuno liceat celebrare, (ubi aliqua de Viatico, & Extrema unctione.) 26
§. 7. De Matutini recitat. ante Missam. 27
§. 8. De hora recitandi Matutinum. 28

I N D E X.

§. 9. De Ministro Sacr. Missæ necessa- rio	32
§. 10. De Pileoli usu in Missa, & extra Missam, & de Bireto.	33
Sect. 1. Pileoli usus in Missa.	ibid.
Sect. 2. Pileoli usus extra Missam.	35
Sect. 3. Bireti usus.	36
§. 11. De Annuli usu.	37
§. 12. Quando liceat pluries eodem die Missam celebrare, interrumpere, vel à principio repetere.	38
Sect. 1. De multiplici Celebratione.	ibid.
Sect. 2. De interruptione, & repetitione Missæ.	41

CAPVT SECVNDVM.

De hora celebrandi, loco, Altari, &
cius ornatu.

§. 1. Qua hora liceat celebrare.	44
§. 2. De loco, vbi nonnulla de Oratorijs priuatis.	49
§. 3. De Altari.	55
§. 4. Quando Altare excretur.	56
§. 5. De Mappis, seu Tobaleis.	59
§. 6. De Cruce.	60
§. 7. De Lumine.	61
§. 8. De Missali.	62
§. 9. De reliquo Altaris ornatu.	66

I N D E X.

CAPVT TERTIVM.

De cæteris ad Sacrificium Missæ
necessarijs.

- §. 1. De Calice, & Patena. 66
- §. 2. Quando Calix, & Patena amittant
consecrationem. 71
- §. 3. De Corporali, & Palla. 73
- §. 4. De Purificatorio. 74
- §. 5. De Lotione Sacrorum, & eorum
contactu. 74
- §. 6. De Sacerdotalibus Indumentis. 76
- §. 7. Quis possit Altaria, & Calices con-
secrare, & Sacerdotalia Indu-
menta benedicere. 78
- §. 8. Facultas benedicendi Sacra Indu-
menta an possit delegari. 80
- §. 9. Sacerdotalia Indumenta quando
amittant benedictionem. 81
- §. 10. An Sacerdotalia Indumenta, &
alia adhibita ad Sacrificium ante
benedictionem remaneant bene-
dicta. 83
- §. 11. Quale peccatum sit uti Vasis, & Ve-
stibus Sacris ad usus prophanos.
84
- §. 12. De Coloribus Paramentorum. 86
- Tabella horaria Ortus Solis, Meridies,
& Media Noctis horologio rotali
accommodata in fine.

I N D E X.

LIBER SECVNDVS.

In quo traditur Ritus seruandus in Celebratione Missæ priuatæ.

CAPVT VNICVM.

- Continens Miscellanea spectantia ad
Missam. 91
- Tit. 1. *De Preparatione Sacerdotis, (vbi
de Clericali Tonsura.)* 119
- Tit. 2. *De ingressu Sacerdotis ad Alt.*
128
- Tit. 3. *De Principio Missæ, & Confessione
facienda.* 134
- Tit. 4. *De Introitu, Kyrie, & Gloria in
excelsis.* 143
- Tit. 5. *De oratione.* 156
- Tit. 6. *De Epistola, Graduale, & alijs
vsque ad Offertorium (vbi de
Publicationibus, & Concione
inter Solemnia.)* 151
- Tit. 7. *De Offertorio, & alijs vsque ad
Canonem (vbi de Materia re-
mota Euchar.)* 156
- Tit. 8. *De Canone Missæ vsque ad Con-
secrationem (vbi de applicatio-
ne Sacrificij, de Forma, & In-
tentione.)* 173
- Tit. 9. *De Canone post Consecrationem,
vsq; ad Orationē Dominicā.* 194

Tit.

I N D E X.

- Tit. 10. De Oratione Dominica, & alijs
 vsque ad Communionem, (vbi
 de Communione Populi infir-
 morum, Monialium, & de ijs,
 qua inter communicandum ac-
 cidere possunt.) 198
 Appendix de Purificatione, Pixi-
 dis. 224
- Tit. 11. De Communione, & Orationibus
 post Communionem dicendis.
 225
- Tit. 12. De Benedictione in fine Missae, &
 Euangelio S. Ioannis, (vbi,
 Quod Sacerdos extra Sacrifi-
 cium Missae, & Administratio-
 nem Sacramentorum non po-
 test Populo benedicere.) 227
- Tit. 13. De ijs, qua omittuntur in Missis
 pro Defunctis, (vbi de Absolu-
 tione Defunctorum post Mis-
 sam.) 234
- Tit. 14. De Missa priuata coram Prela-
 to in loco sua Iurisdictionis, (vbi
 Quid faciendum à Celebrante,
 & Ministris, si inter solemnia
 adueniat Prelatus seu Prin-
 cepts.) 237



I N D E X.
LIBER TERTIVS.

*In quo post multas obseruationes circa
Missam traditur Ritus celebrandi
coram SS. Sacramento, de Ex-
positione, & Depositione
eiusdem, & de Cultu
SS. Cruci exhi-
bendo.*

CAPVT PRIMVM.

Repetitio multorum, quæ sparsim in
Secundo Libro tradita, in vnum
memoria gratia colli-
guntur.

- §. 1. **D**E inclinationibus, & genuflexionibus. 242
§. 2. De simplici capitis inclinatione. *ibid.*
§. 3. De mediocri capitis inclinatione. 244
§. 4. De profunda inclinatione. *ibid.*
§. 5. De Genuflexionibus. 245
§. 6. De his, quæ memoriter scire debet
Sacerdos. 248
§. 7. De his, quæ clara voce recitanda
sunt. 249
§. 8. De his, quæ mediocri voce, & quæ
secretò recitanda sunt. 250
§. 9. Quoties Sacerdos seipsum signat
Missæ. 25

I N D E X.

- §. 10. De percussione pectoris. 252
 §. 11. Quando tenenda sunt manus iunctae.
 pag. 253
 §. 12. Quoties Sacerdos stat inclinatus
 manibus iunctis super Altare po-
 sitis. ibid.
 §. 13. Quoties tenenda sunt manus exten-
 sa, & eleuata. 254
 §. 14. Quoties sunt manus extendenda, ele-
 uanda, & statim iungenda. ibid.
 §. 15. Quoties eleuandi sunt oculi in Mis-
 sa. 255
 §. 16. Quoties osculandum est Altare. 256

CAPVT SECVNDVM.

Ritus seruandus in Celebratione Missae
 coram SS. Sacramento exposito. 257

- §. 1. Aliqua obseruationes. 261
 §. 2. De Expositione SS. Sacramenti. 263
 §. 3. De Depositione eiusdem. 269
 §. 4. De Processione SS. Sacramenti, &
 alijs obseruatione dignis. 273
 §. 5. De qualitate paramentorum in di-
 uersis Expositionibus SS. Sacra-
 menti. 276



I N D E X.

CAPVT TERTIVM.

De cultu SS. Crucis exhibendo.	278
<i>Decretum SS. D. N. Alexandri VII.</i>	286
<i>Aliud Decretum SS. D. N. Alexandri VII.</i>	292
<i>Editum S. D. N. Clementis IX.</i>	296

Multa denique sparsim in hoc Opusculo pertractantur non minus curiosa, quam utilia. Quæ omnia, & me ipsum Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ Iudicio, & Censuræ humillimè subijcio, palinodiam promptus recantare, si quid minus piè, præter intentionem, fuerit dictum.





SACRI ENCHIRIDII

LIBER PRIMVS.

In quo præmittitur explicatio eorum
quæ ad Sacrificium Missæ
necessaria sunt .

CAPVT PRIMVM.

De ijs, quæ spectant ad ipsum Sacerdo-
tem celebraturum .

§. I. *De obligatione celebrandi, & de
confessione præmittenda.*

Primum omnium libet inqui-
rere, an Sacerdos (seclusa
omni alia obligatione) ex vi
præcisa ordinis Sacerdotalis
teneatur aliquoties in anno
sacrificium offerre .

Et quamuis communis, & probabilior sen-
tentia doceat teneri sub Mortali, quod probat-
ur ex Epist. ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex &c.
pro hominibus constituitur, ut offerat sacrifici-
a pro peccatis;* & ex verbis Christi Luca 22.
Hoc facite in meam commemorationem Con-
trarium tamen docent *Gabriel, & D. Bonan.*

Alen.

Alensis, Victoria, Caiet. & alij apud Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 80. sect. 1. quam opinionem ipse probabilem vocat, nec improbat *Quart. in rubr. Miss. in append. de Sacrif. quest. 3. punct. 1.* Et plures referens sequitur *Dian. p. 2. tract. 14. res. 19.* vbi dicit, quod etiam, inhaerendo contrariae opinioni, sufficit ad vitandum mortale, si ter, aut quater in anno celebret, praefertim in die Natiuitatis Domini, Paschatis, & Pentecostes.

2 Sacerdos siue ex deuotione, siue ex obligatione celebrans, debet esse in gratia, multo magis non irregularis, nec aliqua censura irretitus.

3 Non sufficit, quod habens conscientiam peccati mortalis se constituat in statu gratiae per contritionem, sicut sufficit ad alia Sacramenta, & ministranda, & recipienda; sed omnino requiritur confessio Sacramentalis. Ita communiter DD. ex *Trid. sess. 13. c. 7. et can. 11.*

§. 2. *Quando liceat sine praua confessione celebrare.*

1 **C**VM sola contritione saltem existimata celebrare licet (idem dicitur de laico communicando) quoties duo concurrunt, scilicet Vrgens necessitas, & Defectus confessarij,

2 Vrgens necessitas dicitur. Primo.

Instantis mors siue ab intrinseco, siue ab extrinseco, vel notabile damnum, vt mutilatio, amissio omnium, siue maioris partis fortunarum, & similia. Secundo.

3 Scandalum, vel infamia, vt quando hic, & nunc si sacerdos non celebret, qui adsunt possunt rationabiliter suspicari esse in mortali. Suffice-

fice-

§. 2. Quando lic. sine prau. conf. celeb. 3
ficere etiam scandalum improprie dictum scilicet
populi admirationem, docet *Fagund.* cum
alijs 3. *Ecccl. precept. lib. 3. c. 9. nu. 9.* quem re-
fert, & sequitur *Quart. in Rubr. Missal. p. 3. tit.*
8. sect. 3. dub. 4. caus. 2. si dicta admiratio co-
iuncta sit cum graui detractioe, vel perturba-
tione, vel alio simili incommodo. Sed opinio
Fagund. videretur posse absolute admitti, nam si
constet me esse celebraturum, & murmurante
populo renuam celebrare, suspicari poterunt me
esse in mortali, & sic iam adest periculum infamiae,
ad quam vitandam possum ex supradictis
prauia contritione celebrare. Tertio.

4 Detrimentum siue spirituale, siue tempo-
rale sui, vel proximi: Quod esse potest. Primo.

Quando infirmus decessurus est sine viatico.
Secundo.

Quando die festo ipse Sacerdos, vel alij non
possunt adimplere preceptum. Tertio.

Si indigeat stipendio Missae ad vitae susten-
tationem; & aliqui apud *Bonac. tom. 1. de Sacr.*
disp. 4. q. 6. punct. 1. n. 23. extendunt etiam ad sa-
tisfaciendum oneri Cappellaniae; qua in re idem
Bonacc. licet non dissentiat, nihilominus procedendum
esse dicit cum grano salis, ne tam facilis
aditus sine praua confessione celebrandi aperiatur.

5 Hae dicta sunt de habente peccatum mor-
tale. Nam excommunicatus, vel alia censura
irretitus non poterit celebrare, nisi instante gra-
ui nocumento, quod a DD. explicatur Iuitans
mors, grauis Infamia, Missa inchoata; licet *Vas-*
quez, quem sequitur *Delug. de Euchar. disput.*
14. sect. 5. nu. 104. dicit, se non inuenire diffe-
rentiam, quam tamen inuenit *Tambur. Meth.*
Comm. c. 1. §. 6. num. 44. sed quando adest vera
ne-

necessitas p̄terit Sacerdos celebrare sine timore incidendi in suspensionem, vel irregularitatem. Immò Sacerdos inquisitus, sed absolutus, celebrare potest si non adsit scandalum, vt S. C. declarauit 8. Ianuarij de anno 1649. Cantaxaro. Et cui fuit assignatus Conuentus pro Carcere, non prohibetur ire ad Ecclesiam ad celebrandum S. C. 11. Augusti 1651. Siluestrini de Recanate panes Nicol. in opus. Verb. Miss. num. 20

6 Imo Laym. lib. 3. de Inst. tract. 3. par. 3. c. 12. num. 6. addit cum Nauar. Castr. Gutier. & alijs, quod, si quis Sacerdos ex homicidio occulto fieret irregularis, & non celebrando patrati sceleris in suspicionem veniret cum vitæ periculo, vel graui dispendio famæ, posset dispensationem super irregularitate petitam expectans interim peracta prius p̄nitentia (hoc est cum præuia contritione, si non possit à peccato absolui) celebrare. Et hæc quoad vrgentem necessitatem.

7 Defectus verò Confessarij adesse dicitur.

I. Si habens facultatem non adsit, hoc est, (inquit Canus) si ditet per tria milliaria, sed melius Suar. & Vasq tom. 3. quest. 80. disput. 208. cap. 2. num. 9. docent non posse assignari certam distantiam, sed relinquendum prudentis iudicio pro qualitate temporis, & personæ. Potest enim dari casus, quo, licet adsit Confessarius in eadem Ecclesia, nihilominus adiri sine nota Infamiae non possit, vt quando Laicus iam stat ad linteum Altaris cum alijs communicaturus, vel Sacerdos in Sacristia sacris vestibus est indutus, vel iam ad Altare Missam incepit, nec potest sine nota infamiae diuertere, nec Confess-

§. 2. *Quando lic. sino prau. conf. a pleb.* 5
fessarium accersere. Quæ nota infamiae semper ex *Villalob.* apud *Tamb. loc. mox. citand.* rationabiliter timeri potest, cum Laicus cum alijs communicat; Imò quoad Sacerdotem idem *Tamb. Meth Comm. c. 1. §. 10. n. 75.* dictam infamiam agnoscit, etiamsi solus minister adsit, & ipse puer; vbi celebrantē non teneri deliquitū fingere defendit, etiā si contritionē elicere nequeat.

Et quod Sacerdos iam ad Altare Missa inchoata, non teneatur, etiamsi posset sine nota Confessarium accersere, vel Sacrificium omittere, defendit *Leand. tom. 2. de Sacrif. tract. 7. de Euchar. disp. 7. q. 16. & 17.* vbi addit cum alijs quibus hoc fieri posse, etiam Missa non inceperit.

8 Dicunt tamen DD. cum *Laym lib. 5. tract. 4. c. 6. nu. 5.* quod si caneret Missam, teneretur Diacono facultatem habenti confiteri, dum *Gloria*, vel *Credo* cantatur, vel Concio habetur; sed non video quomodo id fieri possit sine nota, in præsentia Subdiaconi, & aliorum, qui ministrant; semper enim possunt id aduertere, & de mortali suspicari.

9 Hic obiter nota, quod tam Sacerdos, quam Laicus, qui ante Communionem recordantur peccati mortalis, non de nouo commissi, sed in vltima confessione sine culpa obliti, nec sine nota redire possunt ad Confessarium, non tenentur actum contritionis elicere, cum iam sit tale peccatum indirectè absolutum, sed solum remanet onus illud prima vice confitendi, vt directè absoluatur. Ita contra *Henriquetz* affirmat *Franc. Verde in post. select. contra Crespinum à Borgia q. 8. Corol 77.* ratio est, quia peccatum illud est indirectè absolutum, & ille constitutus in gratia: quod verum est, si dolor, sub

quo

quo facta est præterita confessio fuit vniuersalis, vel ex motiua vniuersali, alioquin cum ad tale peccatum oblitum non extenderetur, nouo actu contritionis esset opus.

Imò non teneri iterum ante Communionem confiteri, etiam si commodè Confessarius possit adiri, docent *Reginald. Prapost. Garz. Ferrant. et Corneius* relati ab eodem *Francisco Verde* q. 8. *Corol.* 188. Quam opinionem, & idem *Verde* probat ex *Trident.* Inquit tamen, quod alijs communissimè non placuit, & *Dian. p. 11. tract. 8. res. 40.* ait expunctam esse ab operibus *Cornei* per inquisitionem Hispanicam.

10 Nihilominus eam aliquando Confessarius sequi poterit, saltem pro scrupolosis; Et *Tamb. Meth. comm. c. 1. §. 8. nu. 63.* cum alijs admittit hanc opinionem etiam pro eo, qui iam accessit ad linteum Communionis, etiam si sine nota possit recedere.

11 Quod autem non teneatur elicere nouum actum doloris, etiam quando illud peccatum oblitum subiiciet clauibus, docet cum *Dicastil. Delug. Eedesm. et Dian.* idem *Verde loc. citat. Corol. 77. nu. 428.*

12 Quod etiam extenditur ad Confessionem de peccatis aliàs ritè confessis; scilicet sufficere actum doloris elicatum in prima confessione, & nondum retractatum, de quo fusius infra.

Ex hac doctrina sequitur, eum, qui confitetur solum venialia, si videat se de ijs non dolere (licet *Tamburin. Meth. Confess. lib. 1. cap. 3. §. 1.* dicit cum alijs, in confessione venialium non requiri dolorem formalem, sed sufficere virtua- lem, hoc est, desiderium recipiendi Sacramentum, eiusq; effectum sine actuali complacentia

ad

§. 2. Quando lic. sine prau. conf. celeb. 7
ad peccatum) addat peccatum aliàs cum dolore
confessum, & ritè absolutum, & sine nouo dolo-
ris actu recipiet Sacramentum. Ita pluribus ci-
tatis probat *Leand. p. 1. de Sacram. tract. 5. dis-
put. 7. quest. 4* & cum alijs *Dian. par. 10. tract.
16. resol. 30.*

Quod si nolit explicare aliquod peccatum
præteritæ vitæ in particulari, potest se accusare
in confuso de aliqua specie peccatorum, vt de
cogitationibus turpibus, de actibus odij, & simi-
libus; nam licet confessio specifica, & merica
peccatorum sit de essentia Sacramenti, hoc ve-
rum est, quando peccata sunt materia necessaria,
non quando sunt materia sufficiens, vt sunt ve-
nialia, & mortalia iam absoluta.

Imò si confiteatur proprio Confessario, sat
est, si se generaliter accuset, dicendo. Accuso
me de omnibus, quæ tibi in alijs confessionibus
confessus sum. Sic idem *Leand. loc. cit. disp. 5.
quest. 91.*

13 Et quod dolor ante Confessionem per
aliquod tempus elicited sufficiat, docent etiam
alij, sed cum limitatione, quam docet *Delug. de
pœnit. disp. 14. sect. 3. nu. 35.* scilicet dummodo
antiquus ille dolor non sit ita tempore disjunc-
tus ab hac Confessione, vt moraliter vnum
quid cum ea facere non censeatur.

14 Quando vero dicatur facere vnum quid
moraliter cum confessione, ita vt sit materia
absolutionis, alij alia dicunt.

15 Sufficere quando doloris actus tribus, aut
quatuor horis Confessionem præcedit conue-
niunt omnes.

16 Esse validam confessionem, quæ subse-
quitur doloris actû vespere antecedenti elicited
do-

docet *Prapfist.* quem refert, & sequitur *Dian.*
p. 5. tract. 14. ref. 67. & alij.

17 Esse sufficientem non solum si praecedenti vespere, sed etiam si praecedenti die fuerit elicitus: docet ex *Delug. Tambur. Meth. confess. lib. 1. cap. 2. §. 4. nu. 5.* vbi fatetur se non inuenisse longiorem temporis extensionem apud Theologos: ipse tamen benignius loquitur, & putat, dolorem quatuor, aut quinque ab hinc diebus animo conceptum, & non reuocatum vnum quid moraliter cum praesenti confessione constituere.

Longiorem tamen temporis extensionem ipse inueni apud *Leandr. de Sacra. p. 1. tract. 5. disput. 7. quest. 6.* vbi citans *Hurtad. Candid.* & alios absolute docet sufficere ad validitatem Confessionis eum etiam dolorem qui per quodcumque temporis spatium praecessit, dummodo nec expresse, nec implicite fuerit retractatus.

Et hanc opinionem refert, nec reprobatur *Dian. p. 9. tract. 9. ref. 51.* Idem docet *Escobar. tom. 2. lib. 14. sect. 2. Probl. 24.* citans praeter supradictos *Sot. et Suar. et Probl. subseq.* subiungit necessarium non esse, quod actus doloris formaliter, aut virtualiter referatur ad confessionem. Idem docent *Card. Delug. et Tambur.* quos refert, nec reprobatur *Busemb. lib. 6. tract. 4. c. 1. dub. 2. nu. 12.*

Dolor autem de peccatis dupliciter reuocari potest: per complacentiam peccati, de quo doluisti, vel per quodlibet aliud nouum peccatum mortale: Ita ex eodem *Tambur. loc. cit.*

Has opiniones (scilicet in Confessione venialium nonrequiri dolorem formalem, & quando repetitur aliquod peccatum aliàs rite absolutum

non

§. 2. Quando lic. sine prau. conf. celebr. 9
non esse renouandum doloris actum) non sua-
derem, nisi timoratis, qui post repetitos doloris
actus se nunquam satis dolere existimant; obno-
xias enim scrupulis conscientias multum exo-
nerant; & quando coram Deo non essent veræ,
nullum tamen præiudicium inferunt animabus:
cum sermo sit de venialibus; vel de mortalibus
aliàs absolutis.

18 Demum dicitur adesse defectus Confes-
sarij, si adsit, sed ne queat, vel nolit audire; non
tamen, si speres, te post communionem habitu-
rum esse alium, cui cum maiori satisfactione, &
deuotione confitearis, vt notant communiter
DD. paucis exceptis, quos reprobat Vasquez
loc. infra cit. cap. 1.

19 Sed si habeas reseruatam, & adsit Con-
fessarius non habens facultatem pro reseruatis,
(& idem dici potest de habente venialia, &
mortalia, & adsit solum simplex Sacerdos qui
ex potestate Ordinis potest à venialibus absol-
uere) varij varia dicunt.

20 Aliqui te obligant ad confitendum om-
nia peccata, etiam reseruata, vt ab alijs directè,
à reseruatis indirectè absoluaris, & hanc doctri-
nam *Suar. in 3. p. D. Thom. 3. tom. 9. 80. art. 5.*
disp. 66. sect. 4. cas. 4. vocat communem, & tan-
quam securiorem omninò sequendam.

21 Alij te obligant ad confitendum, sed non
reseruata; ita cum alijs *Card. Delug. de Esch.*
disp. 14. sect. 5. nu. 96.

22 Alij denique docent, te posse cum sola
contritione celebrare. Ita *Vasq. tom. 3. quest.*
80. disp. 208. c. 2. nu. 7.

23 Tres istæ sententiæ omnes sunt probabi-
les; Rationes quibus innituntur videri possunt
apud

apud *pract. DD.* quas breuitatis gratia omitto. Tantum aduerto, quod si quis non possit actum contritionis elicere, & celebrandi instet necessitas, alterutram ex duabus primis opinionibus omnino sequi debet: Sine contritione enim, & simul sine confessione communicare absq; sacrilegio non licet, nisi ad vitandam grauem iniuriam Sacramento ab irruentibus fidei hostibus inferendam, vel ad perficiendum Sacrificium, quando quis post consecrationem recordatur se esse in mortali, & non potest conteri; vel si recordetur ante consecrationem, non potest sine nota infamiae Sacrificium omittere. Ita *Vasq. loc. cit. disp. 207. cap. 1. num. 3. Hurtad. Delug. Dian. & alij* communiter.

24 Aduerte secundo, quod *Concil. Trident.* de eo, qui sine prauiam Confessione celebrauerit, dicit, *quam primum confiteatur.* Quae verba Theologi ferè communiter asserunt esse praecipua, & obligare sub mortali. Nihilominus alij, qui docent, esse solum de consilio; ita *Ledesm. Villalob. & alij*, quo sequitur *Tambur. in Meth. Comm. c. 1. §. 6. nn. 48.*

Imò *Fagundez* praepo *Ecclesia 3. c. 8. nu. 9.* licet in Concilij verbis obligationem agnoscat, dicit tamen Sacerdotem huiusmodi teneri confiteri solum, cum primum voluerit iterum celebrare, ita vt si sequenti die celebrare velit, teneatur confessionem praemittere, etiamsi nullum peccatum post celebrationem commiserit, & sit in gratia.

25 Quia verò consueuerunt nonnulli celebrationem Missae per multos menses differre; Sententia *Fagund.* est nimis laxa, & ideo à prima opinione non est recedendū, vt potè communi,

§.2. Quando lic. sine prau. conf. ce. ab. 11
& vera, quam pluribus rationibus firmat
Quart. p. 3. tit. 8. sect. 3. dub. 6. vbi dicit, opi-
nionem *Tamb.* tamquam improbabilem ab
omnibus reijci, quam etiam reijcit *Dian. par.*
9. tract. 3. resol. 22. & nouissimè sub excommu-
nicationis pœna reprobatur in nouo Decreto
SS. D. N. Alex. VII. vt videre est in calce operis
propof. 38. & in *propof. 39.* comprehenditur
fortasse etiam opinio *Fagundez.* Fateor tamen
cum eodem *Quart. loc. cit.* satisfacere obliga-
tionis huius præcepti Sacerdotem confitentem
intra triduum, nisi forsan prius celebrare velit;
quod etiam cum alijs affirmat *Dian. loc. cit. re-*
sol. 23. quamuis aliqui doceant teneri statim
post Missam, oblata sibi occasione; quod esset
verum, si præuideret, se deinde non habiturum
intra triduum copiam Confessarij, vt bene ob-
seruat *Garz. apud Dian. loc. cit.*

Verum quidem est huiusmodi præceptum
Concilij non esse extendendum ad laicos, ne-
que ad Sacerdotes, more laicorum Communi-
cantes, vt docent communiter DD. deberet ta-
men extendi, si acciperetur eo modo, quo ex-
plicatur à *Fagundez,* sicut ipse *loco cit.* exten-
dit: nam etiam laici communicantes in casu ne-
cessitatis cum sola contritione, tenentur confi-
teri antequam iterum Eucharistiam accipiant,
etiamsi nullum aliud peccatum post commu-
nionem commiserint.

26 Crederem tamen Sacerdotem, qui vr-
gente necessitate cum sola contritione celebra-
uit, si ne queat habere copiam Confessarij, posse
deinde sine alia necessitate celebrare, dummo-
do nullum peccatum post celebrationem non
commiserit: ratio est, quia in hoc casu abstinere

à Sacrificio non cederet in reuerentiam Sacramenti ; pro qua stat Decretum Concilij , sed in damnum etiam spirituale ipsiusmet Sacerdotis : & è contra, celebrando nullam irrogat irreuerentiam Sacramento , cum non per solam Contritionem (quod prohibetur à Concilio) sed etiam per antecedentem celebrationem in statu gratiæ constitutus sit ; & hoc ex eiusdem Concilij verbis deducitur, nam de eo , qui urgente necessitate celebrauit , dicit : *Quamprimum confiteatur*, non tamen præcipit, vt interim, donec Confessarij copiam habuerit , à celebrando abtineat .

27 Non possum tamen acquiescere opinioni *Diana part. 9. tract. 3. resol. 26.* docentis , eum , qui ex malitia celebrat in peccato mortali, non teneri quamprimum confiteri , ratio ipsius est, quia Concilium loquitur solum de eo , qui urgente necessitate , præuia contritione celebrauit , & in pœnalibus non est facienda extensio, nec valet argumentum à minori ad maius . Verùm hæc non est extensio legis, sed eius iustissima interpretatio : alioquin daretur , vt quis ex sua iniquitate commodum reportaret . Deinde etiam in pœnalibus fit extensio ex identitate rationis , vt , pluribus relatis probat *Pasqual. in quest. moral. Canonic. centur. 1. quest. 27. num. 7.*

Argumentum verò à minori ad maius in pœnalibus non valet de vno genere ad aliud, secus in eodem genere : quis enim diceret : legi prohibenti delationem armorum ad sui defensionem, non esse obnoxium ferentem arma ad offensionem aliorum ? Quomodo ergo præceptum Concilij impositum operantibus e

cessitate, non comprehendet operantes ex malitia?

28 Nihilominus hanc suam opinionem Dian. vocat communem, quam docet etiam *Castropal. tom. 4. tract. 21. punct. 12. num. 9. & alij* apud ipsum.

Quod tanto magis affirmant de eo, qui ex obliuione inuincibili celebrat in peccato, vel recordatur ad Altare, se esse in mortali, vel inter celebrandum peccat; Sed has opiniones neque sequer, neque docerem, cum præceptum Concilij ex identitate rationis, immo à fortiori, hos etiam calus videatur comprehendere.

§. 3. De Ieiunio naturali ad celebrationem requisito.

1 SACERDOS celebraturus debet esse ieiunus. Est quidem ieiunio naturali, quod excludit quicquid sumitur per modum cibi, potus, vel medicinae, etiam in minima quantitate, vt granum anisi: ita *Delug. disp. 15. de Euch. sect. 2. num. 22. & 27. Castropal. part. 4. tract. 21. punct. 13. num. 7. & alij commun.* quicquid in contrarium conetur probare *Pasqualig. de Ieiun. decis. 440.* Addo, quod Sacerdos ad euitandum scandalum verum, nempe peccati occasionem, & non tantum admirationem populi, potest celebrare non ieiunus, quia præceptum naturale diuinum de vitando scandalo præponderat Ecclesiastico de non communicando post cibum *Dian. 4. p. tr. 4. resol. 104.*

2 Conueniunt omnes, quod, vt aliquid sit cibus, vel potus, debet ex natura sua esse aptum ita alterari in stomacho, vt conuerti possit in

substantiam viuentis, ita *Pasqualig. decis. 417. & seq.* vbi docet venenum ieiunium naturale non frangere, quia non potest conuerti in substantiam sumentis.

3 Ex dictis patet I. Saguinem, vel alium humorem exeuntem ex gengiuis, vel fluentem ex capite non soluere ieiunium; quia quod non venit ab extrinseco non habet rationem cibi; fecus si à naribus extrinsecus flueret in os, ita *communiter DD.* quicquid dicat *Marchin. de Ord. tract. 3 part. 3. cap. 3. num. 8.* citans pro se *Bonac. & Fagund.* qui tamen id non loquuntur. Solum opinio *Marchin.* esset vera, si esset in tam modica quantitate, vt posset dici descendisse in stomachum per modum saliuæ.

4 Patet II. Quod si quid casu incidat in os, vel nares, verbi gratia musca, & per attractionem spiritus deglutiatur, non frangit ieiunium, quia sumitur per modum respirationis, non cibi. Ita *DD. communiter,* & docent aliqui etiam si spontè attrahatur, quod concedit *Pasqualig. decis. 423.* per nares, non autem per os attrahatur, & quicquid attrahitur siue musca, siue cullex, vel simile, si consistat in ore, & spontè deglutiatur, cum posset expui, ieiunium frangit, quia habet rationem cibi. Ita ex *Delug. Tambur. Meth. comm. cap. 2. §. 6. num. 24.*

5 Item non frangit, qui lauando faciem aquam per nares attrahit, etiam si descendat in stomachum, ita fere *comm. DD.* inter quos aliqui addunt, etiam si id faceret dedita opera, non est enim per modum potus: hoc tamen limitat *Pasqualig. decis. 423.* nisi talis sit assuetus attrahere per nares, & trajicere in stomachum liquores; quia hic si dedita opera faceret,

niur

niunium frangeret; nam per huiusmodi assuefactionem censetur sic moraliter potum sumere, & uti naribus pro ore.

6 Idem dicendum cum communi contra Tabien de eo, qui cadens in flumen multum aquæ deglutit; licet enim præter intentionem id accidat, vulgo tamen potasse dicitur, & hoc est verum, quamuis humorem haustum è stomacho eijciat, (licet *Pasqualig. decis. 425.* contrarium doceat:) Ad veram enim comestionem, vel potationem sufficit, ut cibus, vel potus per os in stomachum trajiciatur, neque requiritur, ut in ipso persistat, inquit *Boss. resp. moral. tract. 3. tit. 22. num. 19.* qui, quamuis sentiat cum *Tabiena* in hoc casu ieiunium non frangi; dicit tamen, quod si frangitur, frangitur etiam si humor haustus euomatur.

7 Idem de eo, cui inaduertenti immittitur ab alio aliquid in os, si descendat in stomachum (ut potest contingere in dormiente) nam saltem ex intentione immittentis est vera comestio, vel potatio. *Pasqual. decis. 421.*

8 Patet III. Si quis lauans intus os, vel aliquid prægustans trajiciat aliquas reliquias non frangit ieiunium, quia descendunt in stomachum per modum saliuæ, ita communiter DD. nec esse necesse, ut dictæ reliquix prius saliuæ commisceantur, docet *Diuus Antoninus part. 3. tit. 13. cap. 6. §. 8.* quem contra *Durand. & Gabr.* refert, & sequitur *Boss. part. 2. moral. tit. 1. num. 1714.*

9 Patet IV. Quod non frangit ieiunium, licet in magna quantitate, & ex *Pasqualig. decis. 419.* etiã voluntariè sumpta, quia in stomacho non alterantur, & intentio inquit *Leand. par. 2.*

tract. 7. disp. 5. quæst. 14. non potest facere de non cibo cibum.

10 I. Gemmæ, Aurum, Calybs, & alij lapides, & metalla; nisi forte redacta in puluerem sumantur in medicamentum, vt sumitur puluis margaritarum, auri, & lapidis *Bezzuar.* & similia. Ita *Dicastil. de Sac. tract. 4. disput. 9. dub. 17. & alij.*

11 II. Terra etiam ob delectationem, vel ad minuendum colorem sumpta, *Pasqual. decis. 420.* licet contrariam opinionem probabiliorē putet, quando ad minuendum colorem sumitur, quia habet rationem medicinæ.

12 III. Ofsiculum, siue Fructuum, siue alterius generis, Nux pinea, frustum ligni, vnguis, filium ex ferro, serico, vel lana, ex *Delug. de Euchar. disp. 15. sect. 2. num. 32.*

13 IV. Filium ex lino, & Papyrus contra *Tamb. Meth. comm. cap. 2. §. 6. num. 19.* eius ratio est, quia habent originem ex herba, quæ ratio non placet, licet enim herba frangat ieiunium, non tamen linum, cum iam herbæ substantiam amiserit, & de ipsa herba dubitat *Pasqualig. decis. 419.* quia non est cibus humanus; hoc tamen non debet admitti propter absurdâ, quæ inde inferri possunt.

14 V. Cera ex *Summa Diana Ver. Comm. num. 43.* vbi citat *Ioan. Sanch. & Delug.* licet contrarium sentit *Tamb. loc. cit.*

15 VI. Odor, & fumus carniū, vel aliorum ciborum. *Leand. in præcep. Eccles. tract. 5. disp. 5. quæst. 38.* ex *D. Thom.* & alijs contra nonnullos.

16 VII. Reliquiæ cibi præcedentis ieiunium etiam voluntariè deglutitæ. Ita contra multos

Pasqual. decis. 427. citans pro se quatuordecim alios Doctores, & *Bauny.* docet non solui ieiunium, nisi per commestione[m], quæ sit per intromissionem cibi, aut potus in os in ipsa die ieiunij, & sic per deglutionem sachari, vel alterius rei post mediam noctem, licet sero in os in ipsa die ieiunij non soluitur ieiunium naturale: *Dian. in sum. ieiun.*

17 VIII. Granum aromatis, quod tenetur in ore ad confortandum caput, si contritum dentibus cum saliu[m], vel casu integrum deglutiatur. *Franc. Lug. de Sacr. c. 7. num. 30. Faust. Boff. Lorinch. & alij contra Hurtad. & alios.*

18 IX. Tabacchus tam in folio, quam in puluere, multo minus in fumo, etiam si aliquid descendat in stomachum. *Efcobar. tom. 3. lib. 20. num. 337. Dian. part. 8. tract. 7. resol. 3. in fin. & alij.* Idem dicendum est de radicibus herbarum, quæ ad mitigandum dolorem dentibus conteruntur, si quid modicum præter intentionem deglutiatur; sed si ex industria tabacchus, vel quid simile per os (secus si per nares) transmittatur in stomachum ieiunium frangere, docet cum com. *Quart. part. 3. tit. 9. sect. 1. dub. 2. & Pasqual. decis. 438. & alij supra citati.*

19 Hæc sunt Doctorum placita iuxta, quæ in dictis casibus licitum est celebrare: Consultius tamen esse: ob reverentiam tanto Sacramento debitam, nisi aliter suaderet necessitas, abstinere.

20 Abstinendum quoque esset à sumptione Tabacchi ante Communionem, quod decernitur à duobus Concilijs *Limens. & Messican.* & à pluribus Synodalibus Constitutionibus; & in *Florent. anni 1645. tit. 4. cap. 24. §. 2.* acriter

talis abusus reprehenditur, addita suspensionis pœna, si in actu sacrificandi, siue sacro mini-
strandis sumatur.

§. 4. De eo, qui dubitat an sit Ieiunus.

1 Duplici modo potest tale dubium con-
tingere. Primo an comederis: Secundo
cum scias, te comedis, dubitas tamen fuerit ne
ante, an post mediam noctem.

2 Vtro modo dubites, si dubium sit positi-
uum, hoc est, si habeas aliquam rationem, qua
probabiliter tibi persuadere possis non come-
disse, vel si comederis, non fuisse post mediam
noctem, licet suspiceris de contrario, potes ni-
hilominus celebrare, quia hæc est potius opi-
nio, quam dubium; ita DD. ferè communiter,
vt aduertit *Quart. in Rubr. Miss part. 3. tit. 9.
sect. 1. dub. 5.*

3 Si verò dubium sit negatiuum, hoc est, si
adeò sis anceps, vt neutri parti possis adhære-
re, cum nulla probabilis ratio, nec pro affirma-
tiua, nec pro negatiua parte affulgeat, maior est
difficultas.

4 Et licet aliqui absolutè negent posse te
communicare; Alij verò concedant, quando
dubitas an comederis, negent autem, quando
certus de cibo, dubitas an fuerit post mediam
noctem.

5 Nihilominus probabilis est sententia, quæ
docet in utroque dubio, siue de comestione, siue
de hora, si facta diligentia adhuc perseueret,
posse dubitantem communicare.

6 Hanc sententiam tuetur *Dian. part. 3.
tract. 4. resol. 29.* & probabiliorem vocat *As-*
qualis

§. 5. Qua hora incipiat ieiunium. 19

qualig. decis. 445. & seq. citans pro se XIV. DD. ratio est, quam affert *Quartus toc. cit.* quia in dubio melior est conditio possidentis; Sed quilibet fidelis habet ius communicandi, quando non constat de aliquo impedimento, unde potest communicare, quando non est certus se violasse ieiunium, quia impedimentum dubium non potest derogare iuri certo.

7 Hinc colligitur quid dicendum de eo, qui dum ita cubitum aliquid sacchari immittit in os, & mane dubitat, an ante mediam noctem consumptum fuerit. Imò *Tabien. & Barthol. ab Ang.* relati à *Pasqualig. decis. 431.* dicunt, posse adhuc celebrare, etiamsi certo sciat post mediam noctem consumptum, ratio eorum est, quia cum post dictam mediam noctem nihil in os immiserit, & solum quod venit ab extra ieiunium frangat, non potest dici ieiunium fregisse, cum nihil sumpserit, sed communiter hæc opinio rejicitur, licet eam post alios docet etiam *Leand. par. 2. tract. 7. disput. 5. quest. 18.* & alij apud ipsum contra *Pasqualig.* dummodo intentio sumentis esset, ut consumeretur ante mediam noctem.

§. 5. Qua hora incipiat Ieiunium.

1 Ieiunium tam naturale, quam Ecclesiasticum incipit à media nocte, & probat *Pasqualig. decis. 443.* cum alijs attendendum esse ultimum, non primum horologii ictum: contraria tamen opinio est fere communis. Stari etiam potest cuilibet horologio, quod certò non poterit errare. Imò *Leand.* qui etiam tenet ultimum horologii ictum attendendum, docet, &

quis tunc temporis habeat cibum in ore non teneri illum expuere, sed posse post vltimum ictum deglutire, & mane celebrare, ita loco mox citando *quest. 17.*

2. Probabile quoque est, licere modò vnum, modò alterum in eadem nocte horologium sequi, dummodo per aliquam actionem antecedenti die prohibitam, v. g. per comestionem carnis vel fr. tionem ieiunij, subsequens dies in possessione non sit. Quæ omnia fusè videri poterunt apud eundem *Pasqualig. decis. 441. & seqq.* Idem docet *Leand. part. 2. tract. 7. disp. 5. quest. 6.* dicens non licere sequi vnum horologium pro ieiunio Ecclesiastico, alterum pro naturali.

§. 6. Quando non Ieiuno liceat celebrare.

1. SACERDOS poterit non ieiunus celebrare, & LAICUS respectiuè communicare. Primo ad vitandam mortem, vel aliud grauissimum damnum, quale dicitur à DD. mutilatio, amissio omnium fortunarum, vel maioris partis.

2. Secundo probabiliter ad ministrandum prima vice viaticum.

3. Tertio ad vitandum scandalum, vel infamiam, vt quando recordatur ad Altare se non esse ieiunum; multo magis ad perficiendum sacrificium, vt quando pro vino aquam, vel acetum in Calicem infudisset, quod si sentit, dum habet in ore, non potest ex *Deleg.* & alijs expuere, & tunc debet nouum vinum, & aquam infundere, mente offerre, & consecrare: imò si ieiunium soluit, debet, si commodè potest, consecrare etiam nouam hostiam, & mente prius

utrumque offerens incipiat à verbis: *Qui pridie, quam pateretur*, vel *Simili modo* si consecraret solum vinum, (quod probabile est posse fieri:) aut saltem dicat sola verba consecrationis, ex *Tamb. Meth. Miss. lib. 2. cap. 8. §. 5.* & statim sumat, cætera omittens, nec Sacramentum populo ostendens.

4 Addit cum alijs *Pasqualig. in Sacr. Moral. Doctrin. tom. 2. disp. 111. sect. 5.* quod qui tenentur celebrare, aut ratione curæ animarum, ut sunt Parochi, aut ratione assumpti Ministerij, ut sunt Cappellani Principum, Cardinalium, aut Magnarum, celebrare poterunt, etiamsi casu aliquo violauerint ieiunium. Ratio est, quia aliter causarent admirationem, & præberent occasionem finistrè suspicandi de se ipsis.

5 Quæ doctrina videtur extendenda ad illum, qui celebraturus primam missam, casu violat ieiunium, postquam qui sunt inuitati conuenerunt, militat enim eadem ratio; licet contrarium doceat *Præpos. apud Busemb. lib. 6. tract. 3. cap. 2. dub. 2. num. 3.* nullam afferens rationem.

6 Quarto, ad complendum alterius sacrificij, ut quando quis post consecrationem in sincopem incidit, nec adest alius ieiunus, qui possit complere. Quo casu ministrandam esse medietatem hostiæ Sacerdoti, qui defecit, docent ex *Rubr. Missal. DD.* vel ministrari potest particula, ab eo tamen consecrata, non de his, quæ in Tabernaculo sunt, ut bene aduertit *Tambur. Meth. comm. cap. 6. §. 6. num. 31.* cura debeat participare de proprio sacrificio.

Quinto, ad consumenda fragmenta, quæ

reperiuntur ad Altare post abluionem, siue parua, siue magna sint, tam à se, quam ab alio consecrata, etiam finita Missa, & post longam populi communiorem docet cum alijs *Marchin. de Ordin. tract. 3. part. 3. cap. 3. nu. 17. & 19.*

8 Etiam si reperiantur in Sacristia, docent aliqui, quos refert, & sequitur *Dian. part. 6. tract. 6. ref. 17.* addens non referre si sint parua, aut magna.

9 Etiam post exutas vestes, nisi tradi queant alteri Sacerdoti celebraturo, vel sine irreuerentia seruari, & in hoc casu conuenire DD. omnes docet *Quart. in Rubr. Miss. part. 2. tit. 10. sect. 2. dub. 4.*

10 Si vero tradi possint alteri Sacerdoti, vel sine irreuerentia seruari, non licebit ea sumere.

Quod debet intelligi ex *Fagund. 1. Ecclesia præcept. lib. 3. cap. 18. num. 3.* de integra particula, vel parte notabili; nam si fragmentum esset ex minimis, consultius est, vt ipse sumat; minutiora enim fragmenta faciliè deperduntur, non sine graui irriuerentia Sacramenti: & licet *Fagund. loc. cit.* loquatur de fragmentis, quæ reperiuntur ad Altare; nihilominus cum militet eadem ratio quo ad ea, quæ reperiuntur in Sacristia, etiam post depositas vestes, poterunt sumi, quia facilius est, vt deperdantur, si seruentur, vel tradantur alteri consumenda, quæ in Sacristia, quam quæ in Altari reperiuntur.

11 Certum est, quod si reperiatur integra hostia (idem dic de particula) post abluionem sumptam, debet in Ciborio reponi; sic ex *Rub. de defect. tit. 7. num. 3.* & si in eo Altari Ciborij

rium non adit, debet sequenti Sacerdoti consumenda relinqui. Ita ex eadem Rubr. docet *Quart. loc. cit. dub. 3.* licet contrarium doceat *Card. Delug. de Euchar. disput. 15. sect. 4. num. 81.*

12 Ex dictis colligitur eum, qui oblitus Pixidem purificare ablutionem sumeret, posse adhuc illam purificare, nisi alius Sacerdos id facere possit, & necessitas postulet. Ita docet *Fagund. loc. cit.*

13 Colligitur secundo fragmenta, quæ superessent Communioni infirmi, vt quando vnica tantum particula delata est, & Sacramentum non est ad Ecclesiam reportandum, posse ipsi infirmo post sumptam ablutionem tradi. Ita *Marchin. loc. cit. nu. 18.* quod alij quoque DD. affirmant.

14 *Dixinum. 2. Administrandum prima vice Viaticum*, quia postquam semel præcepto Viaticum sumendi infirmus satisfecit, non adest causa sufficiens, vt non ieiunus celebret, vt iterum Viaticum ministret, Concedunt enim DD. posse infirmum in eadem infirmitate pluries non ieiunum Viaticum sumere. Alij cum *Vil. lalob.* post 30. dies Alij cum *Suar.* post 10. vel 8. Alij cum *Sylvio* post 7. Cum *Filliuc.* Alij post 6. Alij cum *Lud. de S. Ioanne* post 3. Denique *Leander* plures citans *part. 2. de Sacram. tract. 7. disput. 5. quæst. 40.* concedit infirmum durante periculo mortis posse quotidie non ieiunum communicare. Sed alij contrarium docent probabilius, nisi forte infirmus ob singularem pietatem, & deuotionis affectum agrè ferret cælesti pabulo priuari, vt notat *Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 6. nu. 20.*

14 Certum sit ex *Vasq.* quod si quis hodie communicat ieiunus, poterit cras instante eodem periculo iterum Viaticum sumere non ieiunus, & è contra: & quod possit tertio quoque die non ieiunus Viaticum sumere, docet etiam *Diana par. 9. tract. 9. res. 47.* Ita vt inter vnã, & aliam Communionem intercedant duo integri dies computandi à prima media nocte post diem sumpti Viatici: quod probat etiam *Quart. par. 3. tit. 9. sect. 1. dub. 6. caus. 3.*

16 Si verò periculum cessauerit, & post decem, vel octo dies iteratum periculum subierit, non solum posse, sed etiam teneri Viatici præcepto satisfacere, docet idem *Quart. loc. cit.*

17 Quod tamen cum tanto rigore non credo intelligendum, quia cum prorsus non conualuerit, durante eadem infirmitate censetur etiam idem morale periculum, licet physicè primum cessauerit.

18 Imò aliqui, quos refert, nec reprobant *Busemb. lib. 6. tract. 3. cap. 2. dub. 2. art. 3. n. 1.* putant, non esse saltem mortale Communionem in articulo mortis ommittere, dummodo communicaueris in Paschate.

19 Et *Bonacc. tom. 1. de Euch. disp. 4. quest. 7. punct. 1. num. 2.* cum multis alijs docet, eum, qui communicauit sanus sex, aut octo diebus antequam incideret in periculum mortis, non teneri ex vi diuini præcepti Viaticum sumere.

20 Dicitur ex vi diuini præcepti, quia fortasse tenebitur, vt bene obseruat *Mancin. pract. 8. dub. 2.* ad vitandum scandalum, quod plerumque timeri potest, præsertim in primo calu. Nihilominus contraria opinio est probabilior.

cum per antecedentem Communionem non potuerit satisfacere præcepto Viatici, quod tunc non aderat.

21 Hinc est, quod aliqui docent; cum, qui mane communicauit ex deuotione, si eodem die in periculum mortis incidat, teneri iterum ad satisfaciendum præcepto Viatici, communicare: qua de re fusius infra §. 12. *num. 4.*

Hic, ad tollendum abusum, quo Pueri etiam post usum rationis, qui regulariter post septennium completum præsumitur, decedere permittuntur sine Viatico, reticere nolo, veram, & fere communem esse DD. opinionem, Puerum ratione vtentem teneri saltem in articulo mortis Eucharistiam sumere, & consequenter Parochum eam ministrare. Ita DD. apud *Quart. part. 2. tit. 10. sect. 3. dub. 2. diff. 1.* qui addit in fine, quod licet aliqui contrarium sentiant, hoc tamen non est consulendum. Videri potest etiam *Leand. par. 2. de Sacr. tract. 7. disp. 3. quest. 5.* vbi cum multis docet, dictos pueros obligari præcepto communicandi etiam in Paschate, & *quest. 7.* addit peccare mortaliter Confessarios, & Parentes puerorum, qui non permittunt eos communicare statim ac sunt doli capaces; & hanc opinionem vocat probabiliorem.

Nihilominus arridet mihi limitatio, quam affert *Quart. loc. cit.* dicens, quod à septennio ad decennium potest Confessarius, sed non tenetur dictos pueros ad Communionem admittere, à decennio vsque ad decimum quartum tenetur iuxta capacitatem. Vterque tamen coniungunt cum alijs, in articulo mortis, etiamsi obiter de vsu rationis, posse Viaticum ministrari,

strari, quia in dubio propendendum est in fauorem animarum. Sic etiam sentiunt *Henriq De-lug. Dicastill. & alij.*

Quod si puer sumpto Viatico conualuerit, vna est omnium opinio, quod deinceps tenebitur communicare in Paschate, vtpote ad Eucharistiam suscipiendam iam admissus.

22 Nota hic obiter, quod quando Sacerdos debet consumere aliquid alterius sacrificij, verbi gratia, Hostiam, quæ fuit exposita in oratione 40. horarum, etiamsi eam ipse consecrauerit, non debet sumere cum sua; cum non sit pars eiusdem sacrificij, sed post summptionem sanguinis, ita ex *Gauant. part 2. tit. 10. num. 7.*

23 Eo magis si reperiatu particula, aut magnum fragmentum (parua enim possunt mitti in Calicem) de quo dubitetur, an sit consecratum; si enim ante summptionem sanguinis acciperet, periculum esset, vt sanguinem sumeret non ieiunus.

24 Nota insuper non licere dictam Hostiam in particulas diuisam laicis communicantibus dispensare. Ita *Gauant. loc. cit.* quod etiam vetuit S. Carolus, vt ex actis Ecclesiæ Mediolanen. *part 2. pag. 408.*

25 Poteit tamen aliquando Sacerdos partem suæ Hostiæ præbere laico communicaturo, vt quando non habet in promptu alias particulas consecratas, ita ex *Sanch. Granad. Sylu. & De-lug. latè probat Tambur. Meth. Comm. cap. 6. §. 6.*

26 Cum de Viatico dictum sit, in gratiam Sacerdotum curam animarum gerentium placet hic obiter innuere, Extremam vnctionem in eadem infirmitate, perseverante eodem periculo

§. 6. *Quando non Ieiunium celebret.* 27
mōrtis, nec licitè, nec validè iterari posse; sed si
periculum cesset, & deinde licet infirmus pro-
fus non conualuerit, nouum periculum super-
ueniat, & validè, & licitè iterari poterit. Ita
communiter DD. & videri potest *Tamb. de Iu-
re diuin. lib. 6. cap. 2. §. 6.*

27 Spatium, quod assignant DD. inter
vnam, & aliam vñtionem est ex *Henrig.* inte-
gri mensis; ex *Fagund.* 15. aut 20. dierum; ex
Mancin. pract. 9. dub. 21. dierum octo, si pro-
babiliter præsumi possit infirmum saltem ve-
nialiter peccasse; alij vero prudentis arbitrio
hoc decernendum relinquunt.

Sed *Pellizzar. de Monial. cap. 10. nu. 226.*
opinionem *Fagund.* tanquam probabiliori adhæ-
ret, & ita in praxi seruandum videtur.

§. 7. *De Matutini recitatione ante
Missam.*

1 **C**elebrare sine causa, non recitato Matu-
tino cum Laudibus, esse mortale, esse
docent ferè communiter Antiquiores, & ex Re-
centioribus nonnulli, vt videre est apud *Mar-
chin. de Ord. tract. 3. par. 3. cap. 5.* Esse solum
veniale docent alij probabilius, quos refert, &
sequitur idem *Marchin loc. cit.* vbi tamen dicit
priorem potius opinionem esse amplectendum.

2 *Tamb. Meth. celeb. Missa lib. 1. cap. 7. §.
2. num. 2.* defendit contra *Castropal.* non esse
peccatum etiam veniale; quam probabiliter vi-
dere potes apud ipsum, eius rationibus pon-
deratis.

Idem docet *loc. cit.* §. 1. de Precibus ante,
& post Missam, & de Orationibus, quas dicit

Sacerdos, Num se Sacris vestibus induit: quod etiam sentiunt *Suar. Scorr. Quart. Delug. &* alij relati à *Pasqualig. de Sacrif. non. leg. quest. 819.*

§. 8. De hora recitandi Matutinum.

1 **P**Ro ijs, qui strictiorem opinionem piè sequentes nolunt recitare Missam (quod quantum fieri potest suadendum est) ante recitationem Matutini, non erit inutile addere, quæ hora Preces Canonice recitandæ sint.

Certum est singulis Horis Canonicis sua esse statuta tempora, sed iam nunc ex introducta consuetudine timoratorum fas est ex *Tamb. in prac. Decal. lib. 2. cap. 5. §. 5. num. 1.* etiam sine veniali recitare Matutinum, & Laudes ab inclinato præcedenti die vsque ad vnam circiter horam post ortum Solis diei sequentis; Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam ab aurora vsque ad meridiem, Vesperas, & Completorium à meridie vsque ad semihoram circiter post Solis occasum; & tempore Quadragesimæ in priuata recitatione posse etiam sine causa recitari Vesperas post prandium sine vlla culpa, docet cum alijs *Busemb. lib. 4. cap. 2. diub. 2. art. 4. num. 6.*

2 Anticipare, seu postponere dicta tempora, vt recitare Horas ante auroram, Completorium ante prandium sine causa erit peccatum veniale.

3 Et non requiri magnam causam docent communiter DD. & *Tamb. loc. cit. num. 6.* ex *Sanch.* dicit, solam commoditatem recitandi sufficere; quæ facilius admittenda videtur

anti-

anticipando, quam in postponendo recitationis tempore, cum in ultimo potius negligentia, quam commoditas, ut plurimum soleat esse in causa.

4. Imò *Caramuel* in *sua Theolog Regular. disp. 112. num. 1411.* docet nullum esse tempus determinatum pro priuata recitatione, dummodo totum officium intra diem naturalem, qui 24. horis constat, legatur (hoc est à media nocte in mediam noctem, excepto Matutino cum laudibus, quod antecedenti vespere recitari potest, ut dictum est.) Et hanc opinionem saltem propter probabilitatem extrinsecam tutam esse inficiari non possumus, cum eidem inter Syntheses posita 20. fere DD. subscripserint, quam etiam idem *Caramuel loc. cit.* validis rationibus probat. Et *Leand. tom. 2. de sacr. tract. 6. disp. 13. quest. 25.* defendit contra *Narbon.* eum, qui incipit recitare officium prope mediam noctem, & illud sine interruptione absoluit post mediam noctem, satisfacere præcepto, & pro hac sua opinione alios citat: & ipse *Dian part. 10. tract. 11. ref. 16.* eam refert, nec reprobatur.

5. Hic aduerte anticipationem diei sequentis concedi solum quoad Matutinum, & Laudes; nam qui recitaret Primam, & alias Horas ante mediam noctem, non satisfaceret præcepto, quia adhuc non adest.

6. Quæris, quando intelligatur inclinatus dies, ut possit Matutinum sequentis diei recitari?

7. Plures referam opiniones. Concedunt aliqui recitari posse tam hyemis, quam æstatis tempore, tribus horis ante occasum Solis ali-

aliqui quatuor, aliqui tribus, alij duabus horis post meridiem. Quas opiniones *Tambur. loc. cit. num. 3.* vocat omnes probabiles.

8 Ex quibus patet, tempore hyemali posse recitari, secundum primam opinionem 20. hora cum dimidia; aestiuo, secundum vltimam opinionem, recitari poterit aliquando 18. circiter hora, vt mense Iunij, quando meridies est hora circiter 16.

9 Imò apud *Sanch. conf. tom. 2. lib. 7. cap. 2. dub. 37. num. 4.* fuit, qui asseruit posse recitari præsertim in Quadragesima, quando Vesperæ recitantur mane, statim post meridiem, sed communiter rejicitur.

10 Recitare Matutinum diei sequentis nondum absoluto Matutino præsentis, sine causa esset veniale, cum causa, vt ob commoditatem Socij, nullam.

11 Si quæras, quale peccatum sit interrompere recitationem, & an, qui interrompit, teneatur à principio repetere, verbi gratia, horam interruptam.

Respondeo, sine causa esse peccatum veniale, cum causa, nullum; sed nunquam adesse obligationem repetendi, quod dictum est, etiam si vnum Psalmum, ne dum Nocturnum hodiernum recites, & sub finem mediæ noctis diei sequentis compleas, quod omisisti: ita docet cum multis *Tambur. in Dec. lib. 2. c. 5. §. 3. n. 11.* Quod verum esse, etiam si interruperis animo repetendi ab initio, docet cum alijs *Bonacc. tom. 1. de Horis Canonicis disp. 1. quest. 3. punct. 2. §. 1. num. 31.* & videri potest *Quintanad. tom. 1. tract. 8. singular. 2.* Contraria tamen opinio suadenda omninò est, saltem vt magis pia.

12 Hic omittere nolo, quod *Caram. loc. cit. nu. 1414.* in qualibet interruptione etiam sine causa nullam agnoscit culpam, nec minus curiose, quam argute ratiocinatur.

13 Si quæras, an sine causa liceat diuidere Laudes à Matutino.

Respondet *Filliuc. tract. 23. cap. 7. nu. 238.* hoc non solum licitum, sed etiam laudabile: quo casu necessarium non esse, quamuis suadendum, Matutinum absoluere cum Oratione, nisi in nocte Natalis Domini, docet cum alijs *Sanch. lib. 7. Conf. cap. 2. dub. 20. nu. 2.* nec Laudes incipere cum *Pater, & Aue*, docet cum multis *Bonacc. loc. cit. punct. 3. nu. 14 & Tamb. lib. 2. cap. 5. § 3. num. 11.* quia de his nulla apparet nec obligans, nec consulens Rubrica; addi potest, quod in nocte Natiuitatis absolutè inchoantur Laudes sine *Pater, & Aue*.

14 Contrarium tamen docet cum *Nauar. Gauant. in Rubr. Breuiarij sect. 4. cap. 2. nu. 4.* quem malè pro sua opinione citat *Tamb. loc. cit.* respondens, Laudibus Natiuitatis non præmitti *Pater*, cum *Aue*, quia vniuntur Missæ. Sed hæc ratio nil probat, quia etiam Sexta vnitur Missæ, & tamen *Pater*, cum *Aue* dicitur; ex quo patet, in nocte Natiuitatis non dici, quia ante Laudes dicendum non est.

15 Quod autem idem doceat *Nauarr.* mirum non sit, quia putat Horas Canonicas esse octo, & Laudes Horam distinctam ab alijs, & in principio omnium horarum, præter Completorium, *Pater* cum *Aue* præscribitur à Rubrica.

§. 9. De ministro sacrificio Missæ
necessario.

Ministrum ad sacrificium Missæ adhibendum esse sub mortali, docet cum communi *Bonacc. tom. 1. de Sac. disp. 4. quest. ult. punct. 9. num. 34.* licet contrarium sentiant *Navar. & Zerol. apud Fagund. Præcept. Eccles. 1. lib. 3. cap. 21. num. 5.*

2 In casu tamen necessitatis, vt ad dandum Viaticum, vel satisfaciendum præcepto, potes ex *Villalob. Sylu. & alijs apud Dianam par. 2. tract. 14. resolut. 43.* sine Ministro celebrare.

3 Adde ex *Pasqualig. quest. 340. de Sac. nou. leg.* ad lucrandum stipendium sustentandæ vitæ necessarium, & ad vitandum tempore pestis contagionis periculum.

4 Item potes, imò debes ex *Henriquez, & Quart. par. 2. tit. 2. sect. 4. dub. 1.* & alijs, si inchoata Missa Minister habeat, etiam ante Canonem, illam continuare.

5 Fœminam ministrare sacro est omninò prohibitum, & si quis eam admitteret, peccaret vterque mortaliter, ita *commun. DD.*

6 In casu necessitatis potius sine Ministro, quam fœmina ministrante celebrandum est, licet aliqui apud *Dianam loc. cit.* contrarium sentiant.

7 Vsu tamen receptum est, vt ministrante viro circa Altare, fœmina ex suo loco ab Altari procul, siue Monialis è choro respondeat, & hoc nullo iure prohibitum esse docet *Delug. de Euchar. disp. 10. sect. 4. num. 103.*

8 Hic aduerte, quod quando adest, o i cit.

ca Altare detestatur transferendo Missale, & Vr.
 ceolos ministrando (qui semper, exceptis casibus
 supradictis, omninò necessarius est) potest
 Sacerdos sibimet respondere; & solum melio-
 ris Ministri defectum sufficere, neque aliam
 necessitatem requiri docet *Pasqualig. quest.*
 343 num. 4.

9 Aduerte secundo docere communiter
 DD. peccare mortaliter Sacerdotem vntem
 pro Ministro filio illegitimo, quod probant ex
 multis text. sed idem *Pasqualig. quest.* 349. &
Quintanad. tom. 2. tract. 2. sing. 7. excipiunt
 casum necessitatis, celebrationem secretam, &
 etiam publicam, quando ignoratur ab alijs di-
 ctum ministrum esse filium Sacerdotis.

§. 10. De Pileoli usu in Missa, & extra
 Missam, & de Bireto.

SECTIO PRIMA.

Pileoli usus in Missa.

1 Sine Pontificia dispensatione pileolum in
 Missa adhibere non licet ex *cap. Nullus*
Episcop. de Consecr. dist. 1. quam prohibitio-
 nem, cum sit de re graui, obligare sub mortali
 omnes DD. conueniunt.

2 Potest tamen dispensare etiam Episco-
 pus, quando adest necessitas, & non est facilis
 ad Papam recursus, ita ex *Sanch. Tamburin.*
Meth. Miss. lib. 1. c. 7. §. 4. & ex eodem, quando
 non potest adiri Episcopus, habens necessita-
 tem poterit sine dispensatione capite aperto ce-
 lebrare.

3 Imò quando est causa certè, & euidens, non esse necessariam dispensationem, docet *Pasqualig. quest. 829.* citans pro se vigintiquatuor Doctores, qui causam euidentem dicunt nimiam regionis frigiditatem, infirmitatem, capitis debilitatem, & aliqui addunt senectutem, & caluitiem, quod ipse *Pasqual. quest. 828.* non approbat, & statuit pro regula, tunc adesse euidentem causam, quando celebrans sine pileolo subiret incommodum considerabile, siue ex hac, siue ex illa causa proueniat: & tunc licere cum pileolo celebrare non solum secretò, sed etiam publicè, docet idem *loc. cit. num. 4.*

Sed hanc opinionem docentem posse celebrare tecto capite sine Pontificis dispensatione, quando causa est euidens, dicerem esse veram, quando causa non est diuturna, v. g. quis capite laborat, & consultis medicis intelligit, se quindecim, aut viginti dierum spatio sanitatem recuperaturum; hic sine dispensatione poterit celebrare capite cooperto, quia si dispensationem peteret, quando eam reciperet, causa iam cessasset, & sic caderet irrita dispensatio. Secus dicendum, quando causa est perpetua, aut saltem diuturna, in hoc enim casu omninò necessaria est dispensatio, vt ratio probat, & praxis confirmat.

4 Quando ex dispensatione, vel ex causa, operto capite celebratur, docent aliqui posse adhiberi pileolum vsque ad manuum abluitionem: ita *Bauldr. par. 2. cap. 5. nu. 10. pag. 133.* Alij vsque ad Canonem: ita *Marchin. de Ord. tract. 3. par. 3. c. 4. nu. 9.* Aliqui cum *Bonac. de Sacr. disp. 4. quest. vlt. punct. 9. num. 29.* vsque ad Consecrationem. Aliqui denique cum

Delt

Delu
cerne
qual
id re
docer
loc. c.

5
gitim
quam
vt sup

6
cilis e
cerdo
firmos
pensat
tecto
lig. qu

Q
1 C
tiones
2 C
finet a
3 C
4 C
5 Q
uatur,
ante ip
dium
tione

Delug. absolute loquuntur. Sed hoc credo discernendum esse iuxta concessionis verba, vel qualitatatem infirmitatis. Et quando necessitas id requireret, posse adhiberi per totam Missam, docet *Pasqualig. quest. 831. num. 4. & Bonac. loc. cit.*

5 In his tamen casibus, quando non adest legitima dispensatio secretam celebrationem, quantum fieri potest, suaderem, licet *Pasqual.* vt supra dictum est, contrarium sentiat.

6 Possè verò Episcopum, etiam quando facilis est recursus ad Papam dispensare, vt Sacerdos recto capite Eucharistiam deferat ad infirmos, siue in processione, & eam sine tali dispensatione, nisi aliter necessitas vrgeat, capite recto deferre, esse mortale, docet idem *Pasqualig. quest. 833.*

SECTIO SECVNDA.

Pileoli vsus extra Missam.

Q Vi Pileolo vtuntur, eum deponunt, ex *Bauldr. loc. cit. pag. 133. nu. 9.*

- 1 Quando dicturi sunt Lectiones, aut Orationes.
- 2 Cùm alios aqua lustrali aspergunt, vel ipsimet asperguntur.
- 3 Cùm incensant, aut incensantur.
- 4 Cùm pacem dant, & recipiunt.
- 5 Quando Sanctissimum Sacramentum eleuatur, ministratur, aut defertur; (adde quando ante ipsum expositum transeunt, vel ad medium recedant, vel recedunt, vt post Consecrationem.)

C

6 Cùm

6 Cùm Celebrans benedicit populo, tunc tamen non genuflectunt, nisi Celebrans sit Episcopus, ad cuius benedictionem omnes de Choro genuflectunt, præter Canonicos.

7 Cùm dicitur: *Et incarnatus est, &c. Et Verbum caro factum est*: ad quæ verba, qui stant, genuflectunt, qui verò sedent, caput inclinant, profundius tamen, dum dicitur: *Et homo factus est*.

8 Cùm soli intonant Psalmos, Antiphenas, & alia huiusmodi. Aliqui deponunt etiam in Hymno, *Te Deum*, ad ea verba, *Te ergo, quasumus, &c.* & in Passione ad verba, *Expiravit, Tradidit spiritum*, & similia: quod & mihi placet, Incarnatio enim, & mors Christi sunt ex *Bellarmin.* vnum Mysterium; si ergo quando primæ partis memoria recolitur, nempe ad verba, *Et incarnatus est, Et verbum caro factum est, &c.* caput detegitur, quare non etiam, quando recolitur memoria mortis Christi, quæ est secunda Mysterij pars, detegetur? hæc de pileolo.

SECTIO TERTIA.

Bireti usus.

Biretum verò ex eodem *Bauldr. loc. cit pag. 132.* deponitur quoties standum, aut genuflectendum est; quando verò sedetur, deponitur quoties est caput inclinandum, vt per se patet: & inclinandum est ex eodem *Bauldr. cap. 4. pag. 130.*

I Ad nomen *Iesu, Mariae, & Sancti*, de quo fit Officium, & ad nomen *Pape* viuentis.

2 Ad *V. Gloria Patri*, &c. & quoties Sanctis. Trinitatis expressa fit mentio, ut in Antiphonis, quæ in festo Sanctis. Trinitatis dicuntur, in fine Hymnorum, & Orationum.

3 Ad sequentes Versus, *Sit nomen Domini benedictum. Sanctum, & terribile nomen eius*, ubi est consuetudo, contrarium tamen servatur Romæ, maximè in Capella Pontificis. *Benedictus Dominus die quotidie. Sit nomen eius benedictum in secula. Benedictum nomen Maiestatis eius. Benedicat nos Deus, Deus noster*, & ad Canticum trium puerorum, quando duo postremi versus dicuntur. Item in Completorio, dum dicitur: *Benedictus es Domine Deus Patrum nostrorum, Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu. Benedictus es Domine in firmamento Cæli*, & quando hæc, & Orationes dicuntur, incedentes per Chorum sistunt, & caput inclinant versus Altare, & quando dicitur Evangelium, stant versus cornu illius. Adde caput quoque detegendum ad secundam, & tertiam benedictionem cuiuslibet Nocturni, ad quas sederi posse docet idem *Bauldr pag. 125. num. 2.* Debet tamen semper surgere Sacerdos, dum dicit benedictionem, nisi sit Episcopus, qui ad secundas, & tertias cuiuslibet Nocturni potest sedere, ut advertit idem *Bauldr. loc. cit.*

§. II. *De annuli usu.*

1 **A**nnulum deferre non possunt etiam extra Missam ex *Sacr. Rit. Congreg.* nisi I. D. aut in aliqua dignitate constituti, quod etiam prohibetur in *Florentina Syno-*

do anni 1645. tit. 4. cap. 24 §. 22. sed nulli omnino Episcopo inferiori gestare licet annulum in Missa, qua de re plures declarationes *Sacr. Rit. Congr.* emanarunt, quæ vsum annuli in Missa expressè prohibuit Prothonotarijs non participantibus, & quibuscumque DD. 11. Februarij 1623. & Canonicis Cathedralium 20. Nouembris 1628. & Canonicorum nomine hac in re intelligi etiam Dignitates, siue sint, siue non sint de gremio Capituli, docet *Gavant. in Rubr. Missal. part. 2. tit. 1. pag. 78.* vbi refert supradictas declarationes.

§. 12. *Quando liceat pluries eodem die celebrare Missam, interrumpere, vel à principio repetere.*

SECTIO PRIMA.

De multiplici celebratione.

I Multis de causis olim pluries eodem die celebrare licebat, & nunc etiam licet in ijs regionibus, vbi est magna multitudo fidelium, & paruus Sacerdotum numerus, & non est liberum Catholicæ Religionis exercitium, adeo vt nequeat simul omnes conuenire.

2 In alijs locis licet solum. Primo, die Natiuitatis Domini. Secundo, ad conficiendum Viaticum, quando alio modo haberi non posset: & tunc si necessitas postulet, posse Missam inchoari ab Oblatione, imò à Canone, & terminari statim post Communionem, & hanc posse sumi finito Canone, hoc est ante *Pater noster*, docet *Pasqual. quest. 213. num. 6.* Tertio, ad

com

completa. Alterius Sacrificium, nisi adsit alius Sacerdos, qui non celebrauerit; & in his duobus vltimis casibus licebit, etiamsi in priori Missa abluitionem sumpserit; non autem in primo casu, & in alijs, qui olim licebant, vt docent communiter DD.

3 Complendum tamen non est, nisi primus Sacerdos defecerit post consecrationem, & si dubitetur, consecrandum est sub conditione; si verò defecit post oblationem materix, & adsit alius Sacerdos, qui non celebrauerit, Missam inchoabit à principio, offerendo eandem materiam, vt bene aduertit *Quart. part. 3. tit. 10. num. 3. sect. 1. dub. 3.* & tunc Oratio, *Deus qui humane substantia*, dicenda esset in medio Altaris.

4 Adde probabile esse, quod docent multi cum *Gasp. Hurtad. de Euch. disp. 10. diff. 2.* Sacerdotem, qui mane celebrauit, vel Laicum, qui ex deuotione communicauit, posse eodem die, si in periculum mortis incidat, iterum pro Viatico communicare. Imò multi, quos refert *Quintanad. tract. 4. sing. 9. num. 1.* asserunt non solum posse, sed teneri: idem docet *Leander tom. 2. tract. 7. disp. 1. qu. 6. & 7.* Aliqui tamen docent, non solum non teneri, sed etiam non posse; quam opinionem communem, & veram dicit *Tambur. Meth. Com. cap. 5. §. 6.*

5 Sed post hæc scripta, vidi *Tamburinum* in editione nouissima rigorem suæ opinionis mitigasse dicendo, se locutū fuisse de eo infirmo, qui licet laboraret periculoso morbo, quia tamen periculum mortis proximū non cognouit, communicauit ex deuotione, (& in hoc cōueniunt omnes; nullus enim bis eodē die Sacra-

mentum ad infirmi domum (erret:) nam quoad eum, qui bene valens mane in Ecclesia communicauit, & deinde incidit in morbum periculosum, ita vt credatur non porrecturus vitam ad diem sequentem, sponte fatetur probabile esse non solum posse, sed etiam debere iterum communicare.

6 Ampliat hanc opinionem cum *Hurtad. Ochagau. Chellison. Turrian.* & alijs, *Pasqualig. in sacra moral. doctrina, disp. 109. sect. 5. num. 27.* dicens, eum, qui mane communicauit etiam infirmus, sed non cognoscens periculum mortis, teneri iterum communicare eadem die, postquam periculum mortis cognitum est, si differri nequeat communio in diem sequentem, & pluribus id probat rationibus: sed nimis, præter morem, scrupulosè: & ideò benignius loquitur *disp. 118. sect. 3. num. 17.* vbi docet, eum, qui in morbo periculoso sumit Eucharistiam, satisfacere præcepto viatici, etiam si de eo nihil cogitet, nec intentionem habeat sumendi per modum viatici, & ratio est, quia solus actus sumendi Eucharistiam cadit sub præcepto, pro quo implendo non requiritur intentio, vt docent communiter DD. in materia de legibus: immo impletur etiam quodcumque præceptum cum intentione contraria, licet peccare possit ex contemptu, vel ex prauo affectu, qui si absit, non peccatur, nec tenetur, qui cum contraria intentione opus præceptum impleuit, iterum implere, nec præteritam intentionem reuocare, vt volunt plures DD. sed sufficit, quod sciat se per tale opus, etiam cum contraria intentione factum, præcepto satisfacisse, vide eundem *Pasqualig. de sacrif. non. reg.*

Sect. 2. *Quan. l. . . pe. eod. die cel. 41*
quast. 130. . . m. 7. Leand. in præcept. Eccl.
tract. 2. disp. 1. quast. 92. & alios.

Ex dictis facile inferitur non esse necessarium in communione infirmi per modum viatici dicere verba præscripta in Rituali: *Accipe frater Viaticum, &c.* immo aliquando expediret ea omittere, & dicere verba consueta: *Corpus Domini nostri, &c.* ut si infirmus minus deuotè, & cum non paruo animi mœtore communionem per modum viatici recepturus sit; sufficit enim ad satisfaciendum præcepto viatici, vt dictum est, quod Eucharistiam recipiat, & morbus sit periculosus.

Hic aduerte, quod si Sacerdos die Natiuitatis Domini more Laicorum Eucharistiam sumeret, non posset deinde duas, aut vnã Missam celebrare; nec è contra, vt tradunt DD. & videri potest idem *Quintanad. loc. cit. nu. 3.*

SECTIO SECVNDA.

De interruptione, & repetitione Missæ.

- 1 **M**issam interrumpere licet.
- I. Ad vitandam mortem, vel graue damnum.
 - II. Ad audiendam concionem, quæ in Missa solemnè habetur post Euangelium.
 - III. Ad conferendum aliquod Sacramentum: sed, si non est ex necessarijs necessitate medijs, post Consecrationem non licet, nisi forsitan infirmus esset in promptu, nec sacras vestes opus esset exuere. Quod si casus contigerit, Sacerdos poterit Hostiam cooperire cum Patena, & sacramenti custodiam alicui adstanti committere.

mittere: postea rediens Missam post consecrationem relictam resumet unde deserat; sicuti etiam si ante Consecrationem interruperit, & minor mora quam vnius horæ intercesserit; si maior, ordietur à principio: ita *Tamb. Meth. Miss. lib. 2. cap. 7. §. 7.*

IV. Si superueniret memoria impedimenti ex assumpto cibo, ex peccato, ex censura, ex tempore indebito quorum vel similium, si recordetur, inchoato Canone tenetur prosegui, ante Canonem, poterit, sed non tenebitur omittere, vt alibi dictum est, propter periculum scandali, vel infamiæ.

V. Poterit, imò debet interrumpi adueniente excommunicato vitando, qui, si monitus nolit recedere, debet profus omitti, nisi fuerit Canon inceptus.

VI. Debet quoque omitti superueniente ante Canonem inchoatum violationem Ecclesiæ. Alij tamen dicunt omittendam esse in utroque casu, etiam post inceptum Canonem, dummodo non sit incepta Consecratio: & utramque opinionem probabilem vocat *Quart. par. 2. tit. 3. sect. 2. dub. 4. & 5.* vbi dicit, in his casibus Missam proseguendam vsque ad sumptionem Calicis, & cætera omittenda, & in primo casu omnes, qui Missæ interfunt, debere recedere præter ministrum, ne cum excommunicato communicent.

Quem excommunicatum incurrere in hoc casu aliam excommunicationem Papæ reseruatam, docet *Pasqualig. quest. 192. num. 6.* & ea, quæ omittuntur post sumptionem sanguinis, esse supplenda in Sacristia, docet idem *quest. 193. num. 5.*

Hic nolo omittere docere aliquos apud *De- lug.* Bene *de immun. par. 1. cap. 2. dub. 2. sect. 2. num. 27.* ad hoc, vt Ecclesia habeatur polluta, requiri sententiam Iudicis, quod & ipse probabile putat; & plures apud *Bassanum V. Sacri- legium 1. num. 8.*

VII. Licebit tandem probabiliter Missam, interrumpere ad expectandum Prælatum, vel Principem, aut Magnatem volentem interesse sacro. Et ante oblationem posse repeti ab initio, docent *Nauarr. Henriq. & alij*, quos refert, & sequitur *Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 7. num. 3.* dummodo non sit alius Sacerdos, qui possit celebrare. Sed hoc *Tamb. loc. cit. §. 8.* & alij, quos refert, & sequitur *Pasqualig. quæst. 199.* non admittunt.

2 Hic aduerte, quod quando dictum est, & dicitur, aliquid posse fieri ad vitandam mortem, intelligendum est, dummodo non adsit Religionis contemptus, qui si adsit, mors potius oppetenda est, quam vius apex omittendus.

3 Si quæras, an quando potes aliquid facere, vel omittere ad vitandam mortem, vel ad dandum Viaticum etiamne tenearis.

Respondeo non teneri, ad vitandam mortem, quia potes sequi opinionem probabilem, quam docet *Laym.* & alij, in his casibus semper adesse contemptum; neque ad dandum Viaticum, quia omnia præcepta non obligare, quando non possunt debito modo adimpleri, tamquam certum omnes fatentur.



CAPVT SECVNDVM.

De hora celebrandi, loco, Altari, & eius ornatu.

§. 1. Qua hora celebrare liceat.

1 **H**ora celebrandi est ab Aurora ad meridiem. Ita Pius V. in *Rubr. Missal. par. 1. tit. 15.*

2 Conueniunt DD. non esse necessarium, vt inchoetur Missa post Auroram, sed sufficere si sub Auroræ initium terminetur.

3 Imò *Pasqualig. quest. 400. num. 9.* excusat à mortali ex paruitate materiæ, qui ante Auroram Missam terminaret, dummodo spatium intercedens inter Missæ finem, & Auroræ initium horæ quadrantem non excederet; & alibi additi non esse daturum locum serupulis, qui bona fide credens Auroram vicinam celebravit, & postea videt se multò ante celebrasse. Etiam per vnā horam antè Auroram celebrari potest, maximè de licentia S. C. vt dixit in vna. *Nullius Castellana 1646. 13. Iulij, & 1647. 3. Maij,* & alias penes *Nicol. in flosc. Ver. Miss. num. 28.*

4 Aurora dicitur à DD. apud *Escobar. tom. 3. lib. 21. sect. 1. cap. 5. num. 77.* Prima Solis irradiatio; Prima aeris illuminatio, & lucis initium.

5 Non potest assignari certa regula pro omni loco, & tempore; Aurora enim plus minus distat ab ortu Solis, secundum diuersitatem eleuationis Poli, & Ascensiones obliquas Solis

lis iuxta varietatem signorum breuium, seu longorum, quæ per temporum vices variantur.

6 *Escobar* tamen *loc. cit.* dicit Auroram præcedere Solis ortum per horam, & quadrantem circa æquinoctia; per duas horas, & quadrantem circa solstitia; & circa media tempora plus, minus, prout magis accedunt ad hunc, vel illum terminum.

7 Quia vero Auroræ tempus in ordine ad celebrationem Missæ non mathematicè, sed moraliter computandum est, vt docent contra *Sotum DD.* communiter; hinc est, vt alij aliud tempus ad eam inchoandam assignent.

8 Concedit ante Solis ortum horæ quadrantem *Reginal.* mediam horam, *Henriq. & Coninch.* horam, & quadrantem *Azor.* horam, & dimidiam *Suarez, Castropal. & Bonacc.* duas denique horas *Laym. Less. Dicastill. Delug. Tambur.* & alij multi. Quam vltimam opinionem non admittit *Pasqual. quæst. 401.* Ratio ipsius est, quia aliquando contingeret Missam terminari media nocte ante Auroræ initium.

9 Nihilominus propter tot, tantorumque virorum auctoritatem tutissima est.

10 Imò si pro diuersitate temporum seruetur regula data ab *Escobar supra citato*, licebit aliquando, plus duabus horis Solis ortum anticipare.

11 Ultra quas duas horas medium quadrantem pro paruitate materiæ concedit *Quart. punct. 1. tit. 15. dub. 2.*

12 Certum est dari plures casus, in quibus Auroram notabiliter anticipare licet.

I. Vbi adest consuetudo.

II. Quando die festo causa ieiuniorum non potest alio modo satisfieri præcepto: ita *Sot.* quem sequitur *Pasqualig. quest. 407.*

III. Ad conficiendum Viaticum, quo casu posse celebrari statim post mediam noctem, docent *Delug. Laym. Hurtad. Victor. Dicastil.* & alij apud *Pasqualig. quest. 407.* vide, quæ dicta sunt *cap. 1. §. 12. sect. 1. nu. 2.*

IV. Denique nocte Natiuitatis Domini non solum vnam, sed etiam omnes tres Missas posse celebrari statim à media nocte, docent *Laym. Vasquez, Suar. Delug.* & alij quamplures citati à *Pasqual. quest. 404. num. 3.*

13 Terminus vsque ad quem protrahi potest celebratio Missæ est meridies, quo ex communi DD. sententia sufficit Missam incepisse.

14 Ultra quem terminum sine causa inchoari posset absque mortali, cum causa absque veniali vna circiter hora ex *Bonac. & alijs.* Imò etiam sine causa posse intra horam inchoari absque peccato, docet *Quart. part. 1. tit. 15. dub. 3.* & *Leander cum alijs part. 2. tract. 8. disp. 6. q. 12.* docet esse probabilius quod possit inchoari Missa integra hora post meridiem.

15 Et ex iusta causa v.g. itineris, vel simili, posse post integram horam die festo inchoari, docent plerique, inter quos *Henriq. Mirand. Suar. & Rodrig.* apud *Tambur. Meth. celebr. Miss. lib. 1. cap. 6. §. 4. num. 23.* & *Pasqualig. quest. 419. num. 5.* dicit licere etiam cum simili causa die non festo.

16 Imò *quest. 411. nu. 19.* dicit, quod si quis celebraret Missam longè post meridiem, dummodo non excederet horam Nonam, idest

tertiam post meridiem, praesertim si ex rationabili aliqua causa tantum differret, non esset damnandus peccati mortalis, quia existimat probabilem opinionem eorum, qui asserunt etiam nunc licere celebrare Missam usque ad tertiam horam post meridiem, pro qua opinione *loc. cit. n. 3.* citat duodecim circiter DD.

17 Quam opinionem, licet alij absolutè negant, alij tamen apud *Tambur. loc. cit. nu. 20.* concedunt practicari posse in magna festiuitate, quando tardius absoluta est Concio, vel Processio, in funere Principis, Collatione Ordinum, & simili, ne Missa Populus defraudetur, multo magis ad conficiendum Viaticum pro infirmo, quod omnes concedunt. vt not. *Quart. par. 1. tit. 15. dub. 4.*

18 Ad tollendum omnem scrupulum addo probabilem esse opinionem, quam docent *Vasq. Suarez, Auers. & alij*, quos sequitur *Quart. loc. cit. & Leand. par. 2. tract. 8. disp. 6. quest. 12.* qui dicunt; quamdiu durat Missa solemnis, posse inchoari Missas priuatas. Imò decem Auctores, quos refert, sequiturque *Pasqual. quest. 418.* concedunt etiam post Missam solemnem terminatam; nisi terminetur post Nonam, idest post tertiam horam à meridie; quam tertiam horam docet idem *Pasqual. quest. 423.* non esse mensurandam ex horologijs, sed ex spatio temporis, quod intercedit inter meridiem, & occasum Solis, & medietatem dicti temporis esse tertiam horam post meridiem: Ex quo fit, quod diebus aestiuis plus, hyemalibus verò minus temporis dictæ tres horæ important.

19 Quæ omnia, vt facilius innotescant ponetur

netur in fine huius primi libri Tabella horaria
mediæ noctis, ortus Solis, & meridiei tempus
designans.

20 Hic notandum est, quacumque diei ho-
ra posse Laicum ieiunum communicare docet
cum multis *Boxacc. de Euchar. disp. 4. quæst. 7.*
punct. 1. nu. 14. quod licet verum sit, monet ta-
men cum *Coniuch. Castropal. par. 4. tract. 21.*
punct. 16. id seclusa aliqua speciali causa non
debere permitti sub vesperam, aut intempesta
nocte, cum Sacramenti reuerentiam hoc non
deceat, & occasionem scandali non fugiat.

21 Ex dictis colligitur ministrare Eucharis-
tiam vsque ad horam cantandi Vesperas nul-
lum adesse scandalum, & cum causa posse vltra
dictum tempus Communionem protrahi, vt
quando populus in aliqua solemnitate præ mul-
titudine citius expediri non posset.

22 Non solum quacumque diei hora, ve-
rum etiam quacumque die, feria 6. in Parasce-
ue excepta, Eucharistiam sumere licet, ita com-
muniter DD.

23 Imò Sà, *Suarez, Fagund. & alij*, quos
refert, & sequitur *Dian. par. 6. tract. 6. resol.*
19. docent licere etiam dicta feria 6. si absit
scandalum; quod sine dubio posse facilè caueri,
docet *Pelliz. de Monialib. cap. 6. nu. 9.*

Et hanc opinionem acriter defendit *Quinta-
nad. tract. 4. singul. 6.* vbi dicit, contrariam
consuetudinem, & Sacræ Congregationis de-
clarationem non obtinere.

Et *Ioan. Sanch. disput. 22. num. 20.* relati ab
eodem *Quintanad.* dicit consultus esse dicta
die communicare, quam abstinere, & citat
pro se 16, alios DD. Nihilominus à contraria

opi-

opinionem non recederem .

24 Hic breuiter nota , Sacerdotem extra Missam non posse seipsum communicare, si adfit alius Sacerdos , qui ministrare possit, si verò non adfit , posse non solum in extrema necessitate , quod concedunt omnes , sed etiam deuotionis causa docet cum *Durand Suarez. de Euchar. disput. 72. sect. 3.* vbi docet, etiam non teneri recipere à manu Diaconi tunc forte presentis , licet alij contrarium sentiant cum *Fagund. 3. Eccl. præc. lib. 3. cap. 3. nu. 7.* Imò *Durand.* apud ipsum *Suarez. loc. cit.* dicit, quod si Diaconus in absentia Parochi deferret Viaticum ad Sacerdotem ægrotantem , Sacerdos sumpta Eucharistia de manu Diaconi deberet proprijs manibus se communicare .

Et aduerte Sacerdotem communicantem more laicorum debere vti stola , sed hoc ex decentia, non ex obligatione peccati, docet *Tamb. Meth. comm. cap. 2. §. 4.*

25 In casu verò extremæ necessitatis posse etiam laicum non solum sibi, sed & alijs Viaticum ministrare, quando aliàs infirmus sine Sacramentis decederet, docent aliqui apud *Tambur. loc. cit. cap. 6. §. 4.* vbi hanc opinionem saltem propter auctoritatem DD. dicit esse probabilem , licet contraria , quam docet *Delug. de Euchar. disput. 18. sect. 1. nu. 21. & seq.* sit probabilior saltem quoad communicandos alios .

§. 2. De loco , vbi de Oratorijs priuatis .

1 **E**Xtra casus necessitatis , qui videri possunt apud DD. & in eis , sine licentia Episcopi , non licet celebrare, nisi in Ecclesia ,

eaque consecrata, vel saltem benedicta, & non violata, non execrata, & non interdicta, patet ex *Triden. sess. 22.* & docent communiter DD.

2 Celebrans in Ecclesia inter dicta fieret irregularis ex *Cap. ijs, qui, de pœn. excommun. in 6.* sed contra eum, qui celebraret in Ecclesia polluta, præter peccatum mortale nulla pœna in iure lata est, quicquid aliqui dicant apud *Pasqualig. quæst. 498.* quos idem *Pasqualig.* impugnat, sed esset puniendus pœna arbitraria.

3 Nomina Ecclesiæ quoad celebrationem veniunt etiam Oratoria, in quibus ex concessione Episcopi si sint publica, & ex concessione Pontificis si sint priuata, celebrari potest vna, vel plures Missæ iuxta tenorem concessionis, prout sæpius declarauit Sac. Congreg. quam refert *Nald. in sum. Verb. Missa num. 31. Pasqualig. decis. moral. 165. Lexana in Verb. Orator. num. 3.*

4 In Oratorijs priuatis regulariter vnica tantum Missa singulis diebus celebrari potest exceptis solemnioribus, quibus ne vnâ quidem celebrare licet. Quorum nomine intelliguntur.

I. Die Natiuitatis Domini,

II. Epiphaniæ.

III. Paschatis.

IV. Pentecostes.

V. Annunciationis, &

VI. Assumptionis B. Mariæ Virginis.

VII. SS. Apostolorum Petri, & Pauli.

VIII. Omnium Sanctorum. Ita declarauit

Sacra Rituum Congr. Die 17. Nouembr. 1607.
teste *Gauant. part. 1. tit. 20. pag. 63.* quem

sequuntur L. communiter.

5 Nomine Paschatis, & Pentecostes intelligitur prima tantum dies: ita *Gavant.* & alij, nec est addendum Festum Patroni loci vt aliqui putant.

6 Qui celebraret in dicto Oratorio, eodem die ultra Missam concessam peccaret mortaliter, sed neque ipse, neque locus vlli censuræ de iure communi subiaceret: ita DD. communiter: & aduerte, quod altera Missa celebrari non potest, etiam si primæ Missæ Dominus principalis non interfuerit. *Pasqualig. quest. 635. nu. 3.*

7 Feria 5. in Cœna Domini Missæ etiam priuatæ de iure communi non prohibentur, & de Sabbato Sancto licet olim fuerit prohibitio, hodie tamen, vt videre est apud *Pasqualig. quest. 358. & seq.* est abrogata, & dicti dies in priuilegio Oratorij priuati non excipiuntur, vt patet ex supra dictis, vnde sequitur in dicto Oratorio posse celebrari, vt expressè docet idem *Pasqualig. quest. 639. nu. 9.*

8 Nec obstat, quod in nostra Florentina Diœcesi nullibi præfatis diebus celebrare liceat, nisi in Ecclesijs Parochialibus, & Regularium sub pœna interdicti loci ipso facto, vt in *Synodo anni 1637. tit. 3. de celebr. Miss.* Nam hoc intelligitur de publica celebratione, vt expressè habetur in *Synodo anni 1619. tit. 3. cap. 3. §. 5. sub Alexandro Martio*; & de eadem publica celebratione loquuntur declarationes *Sacer. Rit. Congreg.* vt bene aduertit *Pasqualig. quest. 353.* Quibus Illustrissimus, & Reuerendissimus D. Niccolinus in præfata prohibitionem inhærere dicit.

9 Similiter non obstat, quod in eadem Synodo

nodo anni 1619. loc. cit. § 3. prohibentur fieri diuina Officia in Societatibus Laicorum, & locis similibus diebus Veneris, & Sabbati Sancti sub pœna suspensionis ipso facto pro Sacerdotibus, & interdicti locorum.

I. Quia cum loquatur copulatiuè de *Feria 6. in Parasceue*, qua die nullubi tertiarum celebrare licet, & *Sabbato Sancto*, potest intelligi de alijs functionibus Ecclesiasticis, & non de Sacrificio Missæ.

II. Potest intelligi de publica celebratione, & non de secreta.

III. Quod omnem difficultatem adimit, excipitur in dicta prohibitione priuilegium Pontificis, quod certè adest, quoad celebrationem in Oratorijs priuatis, cum Sabbatum Sanctum non sit inter dies exceptos, vt supra dictum est, & docet *Pasqualig. quest. 639.*

Denique probatur ex ipsa Synodo anni 1645. tit. 2. cap. 18. §. 1. vbi commemorat omnes dies, quibus in Oratorijs priuatis celebrare non licet, & nullam ferix 5. & Sabbati Sancti mentione facit.

10 Sed quoad Confraternitates Laicorum extat etiam prohibitio *Sacr. Rit. Congreg. die 18. Maij 1602.* quam tamen aut non esse in vfu, aut saltem intelligi solum de Missa solemnè, docet *Pasqualig. quest. 353.*

11 In Ecclesijs verò Parochialibus, & alijs principibus præter Missam solemnem, conceditur feria 5. alia Missa publica in dicta Synodo anni 1619. loc. cit. nec requiritur licentia.

12 In Oratorijs non possunt exerceri functiones iuri Parochiali præiudicantes. Nam in concessione adest clausula, sine tamen præiudicio

dicio iuribus suorumcumque Parochialium ;
Quæ verba , licet aliqui ex quadam Sixti IV.
declaratione in casu simili doceant intelligi so-
lum, quod non inferatur præiudicium Parocho
quoad Decimas, Primitias, & alias oblationes ;
probabilius tamen videntur extendi quoque ad
alia, nempe ad ministrationem aliquorum Sa-
cramentorum Baptismi, Eucharistiæ pro præ-
cepto Paschatis, & Viatici, & Matrimonij, ad
Ius sepeliendi, Canonicam portionem, & alia,
quæ videri possunt apud *Pasqual. quest. 643.*
vbi infert in dictis Oratorijs posse benedici
candelas, palmas, & cineres, dari pacem, denunti-
ciari festa, & ieiunia, quia hæc non sunt iura
specialia Parochorum.

13 Sed hæc in Florentina Diocesi in Syno-
do anni 1610. *tit. de celebrat. Miss.* prohiben-
tur fieri sine licentia Parochi, sed cum Iuribus
Parochialibus, vt dictum est, non præiudicent,
saltem priuatim poterunt exerceri, quod etiam
colligitur, quia in dicta Synodo nulla trans-
gressoribus imponitur pœna; & si alibi ponitur
pœna, imponitur solum pecuniaria, quod satis
manifestè ostendit prohiberi functiones publi-
cas, cum priuatæ ex defectu probationis puniri
non possint.

14 Extra casum præcepti Paschalis, & Via-
tici possunt Regulares in Oratorijs ministrare
Eucharistiam ex Privilegio, & nulla requiritur
licentia Parochi, vt monet *Pasqualig. quest.*
cit. sed Sacerdotes sæculares, non possunt de
iure, nisi cum licentia, licet *Tamburin. Me-
th. Miss. lib. 1. cap. 4. §. 4. numer. 26.* videat-
ur contrarium sentire. Sed quicquid sit,
certum est apud DD. & videri potest *Tambur.*

loc. cit. sufficere licentiam præscriptam.

15 Quicquid dicitur de Sacramento Eucharistiæ, dicendum esset etiam de Sacramento Pœnitentiæ, sed in nostra Florentina. Diœcesi obstat specialis prohibitio Synodalis anni 1645. & recensetur inter Monita pro Confessarijs, quæ tam Regulares, quàm Sæculares sub pœna suspensionis ipso facto ab audiendis Confessionibus prohibentur Pœnitentium adire domos, ibique etiam in Oratorijs Confessiones audire: excipiuntur tamen casus infirmitatis, vel similis necessitatis, quando Ecclesiam adire non possunt.

16 Ex dictis patet, quod pœnitens non prohibetur adire domum Confessarij, vt ibi confiteatur, nec Confessarius illum audire: Nihilominus consulendum est, vt quantum fieri potest confessiones non audiantur, nisi in Ecclesia, ita reuerentia Sacramentis debita exposcente.

17 Oratoria priuata non sunt benedicenda, quia non destinantur cultui diuino permanenter, & ad nutum Dominorum possunt ad prophanos vsus restitui.

18 Quapropter non gaudent priuilegio immunitatis, non subiacent violationi, & peccata effusionis sanguinis, vel seminis in ipsis commissa, non contrahunt malitiam sacrilegij. Hæc videri possunt apud DD. cum sint ferè communia, & de ijs agit *Pasqualig. quest. 494. & seq. Lexana verb. Orat. nu. 5.*

19 In dictis Oratorijs non satisfieri præcepto auditionis Missæ à non priuilegiatis docent communiter DD. contrarium tamen sentiunt *Castropal. part. 4. tract. 22. punct. 16. num. 13.*

Fagund. 1. Eccl. præcept. lib. 2. cap. 3. num. 8. Homobon. Henriq. Pellizar. in Manual. quos refert Pasqualig. quæst. 659. quibus adde Bussemb. in Medul. Theol. lib. 3. tract. 3. dub. 3. num. 10. Leand. in præcept. Eccles. tractat. 2. disp. 1. quæst. 20 & Trullench in Decalog. tom. 1. lib. 3. cap. 1. dub. 6. nu. 4. & alios, quorum aliqui respondent, Clausulam in Priuilegio Oratorij appositam clarè affirmantem, alios à priuilegiatis præcepto non satisfacere, poni solum de stylo Curix, & secundùm ritum antiquum, quando non poterat præcepto satisfieri, nisi in propria Parochia, sed cum talis obligatio fuerit abrogata, nihil nunc operari dictam clausulam affirmant: quam probabiliter, eorum ponderatis rationibus tu vide; Ipse enim huiusmodi opinionem non docerem; verum quidem est, quod secundùm illam operanti scrupulum non iniicerem.

§. 3. De Altari.

Altare, & illud à facultatem habente consecratum, sine quo extra casum extremæ necessitatis (qui in nostris regionibus, vbi liberum est Catholicæ Religionis exercitium, non potest contingere) nunquam celebrare licet, duplex est, Fixum, & Portatile, seu Viaticum, quæ vulgo dicitur Petra Sacrata.

2 Non potest construi, nisi ex vno lapide, est communis; licet contrarium sentiat cum aliquibus *Pasqualig. quæst. 693.* docens posse construi ex duobus lapidibus, ita vt claudatur in modum libri.

3 In Ecclesijs consecratis non potest erigi Altare stabile, nec erectum destrui sine consensu Episcopi; ita *Barbos. de Iure Eccl. vniuers. lib. 2. cap. 7.* & alij communiter.

4 In Ecclesia verò non consecrata posse erigi, & destrui, sine consensu Episcopi, docent *Azor. & Lexzana, verb. Altare, num. 12.* & cum eis *Tambur. Meth. Miss. lib. 1. cap. 5. §. 1. num. 2.* licet *Pasqualig. quest. 681.* contrarium defendat.

5 In dictis Ecclesijs non consecratis, non posse consecrari Altare fixum, sine dispensatione Summi Pontificis, docet *Barbos. loc. cit. nu. 12.* Sed contrarium Romæ, etiam nunc practitari, docet idem *Pasqualig. quest. 673.*

6 Ex dictis inferitur, ad erigendum Altare amouibile nullam requiri licentiam, vt quando ad celebrandam festiuitatem alicuius Sancti, cuius Imago est in Ecclesiæ pariete depicta, & ea die Altare ligneum ante ipsam erigitur, & in eo super imposta Petra consecrata celebratur. Imò *Barbos. loc. cit. nu. 6.* dicit, quod *Sac. Rit. Congr. in Caietana 10. Nouemb. 1612.* censuit, Altare ligneum, cum Ara lapidea, permitti debere non obstante constitutione Synodali.

§. 4. *Quando Altare excretur.*

1 **F**ixum excretur, quando Mensa superior ab inferiori structura separatur, & quando notabiliter frangitur, ita DD. communiter *ex cap. ligneis, de consecratione.*

Portatile solum excretur, quando notabiliter frangitur, ita vt super nulla illius integra parte possit stare Calix, & Hostias; ratio prioris est,

est,
fuer
ciur
mud

2

I.

ctur

que

II

tur,

rent

& m

doce

II

xx

inun

Layn

sect.

IV

reliq

Quan

tio et

fracti

tia co

quest

dicun

tenda

imò s

per m

indul

opinio

seruan

puuct.

bos. in

3 E

est, quia amittit formam, sub qua consecratum fuerat; posterior s, quia sit ineptum ad Sacrificium, ita *Suar. Laym. Vasq. Azor. & alij* communiter.

2 Ex dictis inferitur Altare non execrari.

I. Si fixum integrum, cum sua inferiori structura de loco ad locum transferatur, *Pasqualig. quest. 685. nu. 3.*

II. Si Mensa Altaris in duas partes scindatur, dummodo partes fractæ invicem non separentur, nec ab inferiori structura amoveantur, & in hoc casu sufficere eas aliquo glutine unire, docet idem *Pasqualig. quest. 689. nu. 10.*

III. Si cornua Aræ, tam portatilis, quam fixæ, quæ sacro chrismate in consecratione inunguntur, etiam omnia frangantur; ita *Laym. Castropal. Delug. disput. 20. de Euchar. sect. 2. nu. 75. & alij.*

IV. Si frangatur sigillum, & sepulchrum reliquijs spoliatur; ita *Delug. Tambur. Coninc. Quart. par. 1. tit. 20. dub. 5. in fine, & alij*; ratio est, quia fractio solius sigilli non potest dici fractio enormis, & reliquias non esse de essentia consecrationis Altaris, docet *Pasqualig. quest. 679. citans pro se alios 24. DD.* Quo casu dicunt in Oratione: *Oramus te Domine, omitenda esse verba, quorum reliquia hic sunt*; imò solum dicendum esset, *Oramus te Domine per merita omnium sanctorum tuorum, ut indulgere digneris, &c.* Contrariam tamen opinionem saltem ex decentia, & consuetudine servandam esse, docet *Castropal. p. 4. tract. 22. punct. 9. n. 6. & ita declarasse S. R. C. docet Barbof. in Sum. Decis. Apost. verb. Celebrans, n. 2.*

3 Hic notandum est, quod quando Sacerdos

celebrat prima vice in aliquo Altari non debet scrupulosè explorare, an sit consecratum, & integrum, sed satis esse, quod sit expositum celebrationi, docet cum *Soto, Azor. & alijs Pasqualig. quest. 700.*

4 Notandum secundo, quod quando consecrantur Particulæ pro communione laicorum, debent super ipsa Ara consecrata esse non solum tempore Consecrationis, verum etiam vsq; ad Communionem Sacerdotis, quia cum sint pars Sacrificij, vsque ad perfectionem illius coram Sacerdote perstare debent. Ita docent *ex Rubr. Missal. Delug. & Tamb. lib. 2. Meth. Miss. cap. 5. §. 2. nu. 12.* vbi ait non peccare mortaliter qui statim post consecrationem in Tabernaculo includit, vel alteri Sacerdoti tradit laicis distribuendas; quod si necessitas postulet nullum erit peccatum.

5 Notandum tertio, quod in eo Altari, vbi proprius Episcopus, tanto magis eo superior, Missam cantauit, non licet sine eius licentia, saltem tacita, eodem die propter reuerentiam ei debitam celebrare, vt colligitur *ex cap. final. de consecrat. dist. 2.*

Cantauit inquam, nam non obstat, quod *Gavant. in Manuali Episcop. verb. Altare, nu. 28.* dicat *ex Concil. Antisiodoren. 2. can. 10.* Celebrauit.

I. Quia dictum Concilium cum sit Prouinciale non obligat extra Prouinciam.

II. Quia celebratum fuit eo tempore, quo in eodem Altari non licebat eodem die celebrare, nisi vnam Missam, & quia dicebant Missam Episcopi non esse computandam, idè Concilium decreuit, non posse post Missam Episcopi
aliam

aliam
peritū
qual.
franc.
zar. 1

1
A
20. nu
secc. 4

2
duæ,
3
se seru
possit
taris.

4
tam de
loc. in
lapide

5
fine ca
conter
crific.
bet ra
vt doe

6
morta
confic
itente
Pasqu

7
das d

aliam Missam celebrare. Imò etiam *cap. fin.* superius citatum fortasse, vt aiunt DD. apud *Pasqual. quest. 1235.* abiit in desuetudinem: ideo standum esse consuetudini locorum docet *Lezar. verb. Altare nu. 13.*

§. 5. De Mappis, seu Tobaleis.

I Altare debet ornari mappis tribus, eis- que benedictis, vt patet ex *Rubic. tit. 20. nu. 2.* & ex *cap. si per negligentiam, de consecr. distinct. 1.*

2 Vsu tamen receptum est, vt adhibeantur duæ, quarum vna duplicatur.

3 Imò docet *Pasqual. quest. 707.* vnã posse seruire pro tribus, si sit tantæ longitudinis, vt possit triplicari saltem quo ad eam partem Altaris, vbi est repositus lapis consecratus.

4 Duas solas sufficere, vel vnã duplicatam docent quamplures, inter quos *Castro pal. loc. infra cit.* vbi addit satis esse si tegant solum lapidem consecratum.

5 Celebrare cum vna tantum mappa, etiam sine causa esse tantum veniale, dummodo absit contemptus, affirmat cum multis *Leand. de Sacrific. par. 2. tract. 8. disp. 7. quest. 15.* & quælibet rationabili causa etiam à veniali excusat, vt docent communiter DD.

6 Nullam prorsus mappam adhibere, etset mortale extra casum grauis necessitatis, vt ad conficiendum Viaticum, & similes, quo existente posse super nudo Altari celebrari, docet *Pasqual. quest. 712. nu. 4.*

7 Mappas non esse necessario benedicendas docent apud eundem *Pasqualig. quest.*

709. DD. 21. & licet contrarij opinio sit probabilior, certum tamen est non obligare sub mortali: & cum aliqua causa posse sine vlllo peccato adhiberi prophanas, & postea proprio vsui restitui, docet *Castropal. par. 4. tr. 22. disp. vnic. punct. 10. nu. 11.* & alij apud ipsum.

§. 6. De Cruce.

1 **I**N medio Altaris adesse debet **CRUX**, saltem tempore sacrificij, ita ex *Rubr. Missal. tit. 20. nu. 1.* & alij dicunt sub obligatione peccati mortalis. Sed communis, & vera opinio est solum sub veniali, & cum qualibet causa nullum omninò peccatum erit. Vide *Pasqual. quest. 717.*

2 Sufficere solam Crucem, nec requiri imaginem Crucifixi, docent contra *Gauantum, Quart. & Pasqualig. quest. 714.* quia tamen cum alijs dicit non sufficere Crucem, quæ est in summitate Tabernaculi Sanctissimi Sacramenti, nisi esset aded paruum, vt moraliter Crux ipsi superposita censeretur esse in Altari.

3 Adhibenda est Crux, etiam quando celebratur in Altari, vbi asseruatur in Tabernaculo SS. Sacram. est fete comm. licet *Delug Suar.* & alij contrarium sentiant; in quo tamen Altari non esse celebrandum, docet ex *Carem. Episc. lib. 1. cap. 12 Gauant. loc. cit.* sed male; nam ibi de S. exposito, & paulo supra de Missa solemni tantum loquitur *Carem.*

4 Imo adhibendam esse, etiam quando Sanctissimum est expositum docet præcit. *Pasqual. quest. 715.* citans *Franc. Lug. & Gauant. par. 1. tit. 20. lit. V.* Sed *Gauant. loc. cit.* loquitur solum

lum
clau
& pr
5
quan
xus
Icon
Gau
mar
cap. 5
cum,

1 **I**
te nec
extin
profe
gund
alij, e
ciend

3
lebra
dam
Viati
clesia
cij, se
tendi
ceptis
docet
dicit,
tionc
lum p
Miss

lum de Altari, ubi asseruatur Sacramentum
clausum in Tabernaculo, non verò expositum:
& praxis habet Contrarium.

5 Non esse necessariam aliam Crucem,
quando in Icone Altaris est depictus Crucifi-
xus, seu sola Crux, multo minus quando pro
Icone adest Crucifixus sculptus, docent contra
*Gauant. loc. cit. Quart. Franc. de Nigr. Tri-
march. & alij Imò Tambur. Meth. Miss. lib. 1.
cap. 5. § 6. nu. 2.* contrarium ritum Metaphysi-
cum, & ferè pharisaicum appellat.

§. 7. De lumine.

1 **L**umen adèdè necessarium est ad Sacrifi-
cium, vt secundum aliquos, quauis stan-
te necessitate, celebrari nequeat sine ipso; & si
extinguatur ante consecrationem, non licere
prosequi Missam, docent *Henric Bellarm. Fa-
gund. Præcept. 1. Eccles. lib. 3. cap. 22. nu. 19.* &
alij, etiam si esset dies festus, & necessitas confi-
ciendi Viaticum ad communicandū infirmum.

3 Probabile tamen est, licere sine lumine ce-
lebrare in grauissima necessitate, vt ad vitan-
dam mortem, & simile, vti etiam ad dandum
Viaticum: lumen enim seclusa institutione Ec-
clesiæ, non requiritur ad reuerentiam Sacrifi-
cij, sed talis institutio ex genere suo non se ex-
tendit ad casus necessitatis, qui semper pro ex-
ceptis habentur tanquam legi non subiecti; ita
docet *Hurtad. & Pasqual. qu. 725. qui qu. 724.*
dicit, quod si extinguitur, etiam ante consecra-
tionem, sine modo iterum accendendi non so-
lum posse, sed debere Sacerdotem prosequi
Missam; magis enim obligat præceptū Missam

inchoatam perficiendi, quare sine lumine non celebrandi, licet alij contrarium sentiant.

3 Quod si expectando reaccendi possit docet *Quintanad. tom. 2. tract. 2. sing. 13.* expectandum ante consecrationem per horam & mediam, aut horam circiter, post consecrationem verò nec per quadrantem, quod *Pasqualig. loc. cit.* non probat dicens eo casu Missam profequendam esse, sine vlla interruptione.

4 Vnicum lumen sufficit, vt quis non peccet, & quidem ex cera, sed potest adhiberi, cum causa etiam ex oleo, vel seuo.

5 Causa sufficiens est, si non adsit ex cera, ita *Pasqualig. quest. 726.* vbi etiam docet, adhibendum esse potius ex seuo propter similitudinem cum cera.

6 Quando adesset ex cera, & quis tamen vteretur sine causa ex alia materia, solum peccaret venialiter, ita *Pasqualig. loc. cit.*

Nota in Missis priuatis, nisi aliter exigat ratio est: accendere quatuor candelas non conuenire, etiam Vicarijs Generalibus, licet sint Prothonotarij, docet ex decreto Congr. *sub die 7. Augusti 1627. Gauant. par. 1. tit. 20. pag. 62.*

§. 8. De Missali.

1 **M**issale est necessarium ad Sacrificium Missæ, vt per se patet; non tamen necessario benedicendum est, vt aliqui Canonistæ docuerunt.

2 Celebrare sine Missali potest is, qui memoriter scit ea, quæ dicenda sunt in Missa, idque sine morali periculo errandi; ita docet *Delug. disput. 20. de Euchar. sect. 2. num. 78.*

&

& fa
non e
dan
lib.
Cano
rem
puli

3
clasia
tis M
re de
cum
corre
alio
noh c
niter
nialiu
confl
erif.
Missæ
Rom
Gau
Meth
iufim
branc
licent
loc. ci
tur,
lum r
Missæ
reper
cessa
Di
nion
teneri

& fatet *Suar. & Pasqual. quest. 718.* ubi dicit non esse adhibendum alium librum ad saluandam apparentiam: Sed libentius cum *Tambur. lib. 1. Meth. Miss. cap. 6. §. 5.* Missam præsertim Canonem conscriberem, & alij libro applicarem, & sic vitaretur errandi periculum, & populi admiratio.

3 Vtentes Missali Romano, si in aliqua Ecclesia celebretur festum alicuius Sancti habentis Missam propriam, possunt quidem celebrare de eo Sancto, licet in Calendario non sit, sed cum Missali Romano Missam qualitati Sancti correspondentem. Priuilegium enim vtendi alio Missali præter Romanum, vt plurimum non est locale, sed personale; ita DD. communiter, & ita se gerere debent Cappellani Monialium, & alij apud ipsum in earum Ecclesijs confluentes, vt in simili docet *Pasqualig. de Sacrif. quest. 279. num. 3.* qui possunt celebrare Missas Sanctorum Ordinis, sed cum Missali Romano, vt ex *Decr. Sacr. Congreg. probant Gauant. par. 3 tit. 10. Rubr. 16. & Tamburin. Meth. Miss. lib. 2. cap. 6. §. 2. num. 7.* & ad huiusmodi Missam cum Missali Romano celebrandam non est opus à Sac. Rituum Congr. licentiam petere, vt affirmare videtur *Gauant. loc. cit.* nam in eodem Decreto spontè conceditur, vt colligitur ex eodem *Tambur.* sed solum requiritur licentia Congr. ad dicendam Missam propriam, quæ in Missali Romano non reperitur, & solis Religiosis illius Ordinis concessa est.

Dixi, *possunt*, quia non tenentur iuxta opinionem eorum, qui docent, peregrinos non teneri seruare leges particulares loci, in quo

reperiuntur, & sic poterunt in dicta Ecclesia, ubi peculiare festum celebratur, dicere Missam correspondentem proprio officio: sed melius est in celebratione conformare se officio loci, in quo celebratur, vide *Quart. par. 1. tit. 4. dist. 10. vers. Dico tertio.*

Ampliat supradictam opinionem *Leand. part. 6. in Decalog. 1. tr. 8. disp. 4. quest. 56.* & alij apud ipsum dicentes, Cappellanos Monialium posse non solum celebrare Missas, sed etiam recitare Officium Sanctorum Ordinis, sed cum Breuiario Rom. At hæc opinio non videtur admittenda, nisi quoad eos, qui quasi collegialiter viuunt expensis Monialium, vel quibus administratio Sacramentorum, & animarum cura commissa est, vide *Quintanad. in suis singular. Theolog. tract. 8. singul. 7. num. 3.*

4 Ex dictis patet, quod si nulla est Missa in Missali Romano. quæ cum Officio Monialium concordet, puta de *Nomine Iesu*, de *Spinea Corona*, & similibus, eo casu Missam de *Circumcisione Domini*, & de *Cruce*, vel de *Passione* celebrare poterunt, inquit *Gauant. ibid.*

5 Et nota, quod prima Dominica Octobris in Ecclesijs Monialium celebrantium festum SS. Rosarij, Missa dicenda est de B. V. vel vt in die Natiuitatis eiusdem, mutatis verbis incongruis, nimirum dicendo loco *Natiuitatis*, *Festiuuitatis*, vel potius vt in Festo S. Mariæ ad Niuës. Ita docet *Gauant. par. 4. t. 15. nu. 22.* & hoc verum est, etiamsi Altare cum Indulgentia sit intra claustra Monasterij; quia Missa debet concordare cum Officio Monialium, & necesse non est, quod celebretur in eodem Altari, su-

per

per qu

6

Miss

decl

ziam

7

antiq

liter,

Pasq

8

cum a

Pasq

ziat T

esse a

vt fib

& lice

men r

non p

9

tificat

aliciu

pro di

transl

impec

quocu

ab Ec

nem S

bet Sa

Miss

pal. p

e ser

Mega

fert, &

tamen

est.

per quo erecta est Rosarij Societas.

6 Qui scienter, & sine iuxta causa vteretur Missali non Romano, peccaret mortaliter; ita declarauit Sacra Rituum Congreg. apud *Garriziam de Benef. par. 3. c. 1. nu. 156.*

7 Qui verò vteretur Missali Romano, sed antiquo non reformato, peccaret solum venialiter, & cum causa nullo modo peccaret. Ita *Pasqualig. quest. 720. nu. 3.*

8 Possè tamen aliud Missale v. g. Monasticum adhiberi, si Romanum non adsit, docet *Pasqualig. loc. cit. nu. 4.* licet contrarium sentiat *Tamburin.* qui potius à Sacro abstinendum esse affirmat: nisi fortè id aduertatur ad Altare, vt sibi contigisse fatetur *lib. 2. c. 5. §. 2. nu. 22.* & licet promptum esset in Sacristia, illud tamen non petijt, cum sine populi admiratione non posset afferri.

9 Hic nolo omittere, quod quando de Beaticis nondum Canonizatis concessum est alicui loco particulari Officium cum Missa pro die anniuersaria, qua ad Cœlestem gloriam transierunt, potest de iisdem qualibet die non impedita dici Missa votiua ab omnibus, & in quocumque loco: quia quando declarati sunt ab Ecclesia digni tali cultu, qui eis per oblationem Sacrificij exhibetur, eo ipso potest quilibet Sacerdos ex priuata deuotione celebrare Missam in honorem ipsorum: ita docet *Castro-pal. par. 1. tract. 4. disp. 1. punct. 5. §. 5. num. 7.* & seq. vbi citat alios 20. DD. Idem sentiunt *Megal. Tamburin. Quintanad.* & alij, quos refert, & sequitur *Pasqualig. quest. 277.* Semper tamen cum Missali Romano, vt supra dictum est.

§. 9. De reliquo Altaris ornatu.

PAllium, quo in anteriori fronte ornatur Altare, Pulvinar, cui Missale supponitur, Candelabra, Manutergium, & si quæ sunt alia huiusmodi remota à sacra actione, non sunt adeò necessaria, vt si quid eorum præsto in Ecclesia non sit, non possit ex prophanis, sed congruenter mundis recipi, & deinde prior vsui sine scrupulo restitui, vel sine ipso, quando aliter fieri nequit, celebrari, ita Doctores citati, & alij communiter.

CAPVT TERTIVM.

De cæteris ad Sacrificium Missæ necessarijs.

§. 1. De Calice, & Patena.

Calix ad Sacrificium Missæ omninò necessarius est, nunquam enim sub vna tantum specie ex Institutione Christi consecrare licet, vt docet cum communi sententia *Quart. in Appen. de Sacrif. quest. 1. par. 5* vbi etiam contra nonnullos strenuè defendit hac in re non posse Pontificem dispensare, & falsum esse quod dicitur aliquando dispensasse.

Vnde audiendi non sunt *Maior. & Sor.* dicentes, ad dandum Viaticum infirmo licere particulam consecrare non solum sine consecratione vini, sed etiam extra sacrificium. Hanc opinionem refert *Possenin. de Officio Curati,*

pag.

pag.
nem

O

pote
cie,
consi
nis p
panis
pote
prose
defic
fectu
non
apud

Id

nem

tunc

non p

vbi e

mate

else c

oblig

prou

fit ali

tio. S

est ac

cium

debet

dictu

N

comm

ille v

nales

comu

Q

pag. 161. nu. 14. sed contrariam vocat communem, & veram.

Obseruandum tamen est, quod licet non potest offerri Sacrificium sub vna tantum specie, debet nihilominus perfici, quando post consecrationem aduertitur verba consecrationis prolata fuisse super materiam ineptam siue panis, siue vini, & alia commodè haberi non potest: tunc enim Sacerdos debet Sacrificium prosequi, omissis verbis, & signis ad materiam deficientem spectantibus, quod si materia defectus ante consecrationem aduertatur, vterius non est procedendum. Ita communiter DD. apud *Quar par. 3. tit. 3. sect. 2. dub. 1.*

Idem dicendum, quando post consecrationem reperitur aliqua species veneno infecta: tunc enim non solum non debere, sed etiam non posse sumi, docet *Pasqualig. quest. 304.* vbi etiam dicit non esse substituendam nouam materiam, quia sufficit, Sacrificium perfectum esse quoad vtramque speciem in oblatione; obligatio enim sumendi vtramque speciem prouenit ex ipsa oblatione, & quando sumptio fit aliquo casu impossibilis cessat talis obligatio. Secus dicendum, quando pro vino appolita est aqua in Calicem: tunc enim quia Sacrificium fuit imperfectum etiam in ipsa oblatione, debet suppleri per nouam materiam, vt alibi dictam est.

Nihilominus contrarium sentiunt alij ferè communiter ex *Rubr. do. def. tit. 10. nu. 6. & 7.* ille verò respondet dictas Rubricas esse doctrinales, & non obligare, quando affulget ratio conuincens in contrarium.

Quod tanto magis probat, quando esset in-

fecta vtraque species, vel quando species, consecrata transmutarentur in aliam formam: nam in vtroque casu, inquit ille, fuit valida consecratio vtriusque speciei, atque ideo completum Sacrificium quoad oblationem, & representationem Sacrificij cruenti; & ideo non est consecranda noua materia, quia noua consecratio in his casibus esset institutio noui sacrificij, non complementum alterius.

Quod autem species infectas non debeat celebrans sumere, est adeo certum, vt *Leand. par. 1. tract. 5. disput. 10. quest. 67.* dicat cum alijs non teneri Sacerdotem eas sumere, etiamsi hoc sciat in confessione, & *quest. seq.* addit hoc esse verum, quamuis pœnitens à socijs delicti deberet occidi: quo casu dicit, laudabile esse dictas species veneno infectas sumere, sed non adesse obligationem. Sed hæc dicta sunt obiter.

Ex dictis infer, quod si species fuisse veneno infectas aduertatur post summptionem, potest statim procurari vomitus; & ratio est, quia calix vitæ verti in mortem non debet, vt in simili dixit *D. Thom. in 3. par. quest. 83. artic. 6. add. 3.*

2. Calix debet habere cuppam auream, argenteam, aut saltem stanneam, ex *Rubr. tit. 10. de defect. occurr. in ipso Minister. num. 1.* & ex *cap. vt Calix, de consecr. distinct. 1.* non ligneam, ne sacras species imbibat; non vitream, propter periculum fractionis, neque æream, & à simili non plumbeam, neque cupreâ, propter rubigillum, & nauseam; licet probabile sit ex *Fagund. Præc. 1. Eccl. lib. 3. cap. 21. num. 20. Leand. par. 2. tract. 8. disp. 7. q. 26. Pasqua-*
lig.

lig. qu. 767. Card. Delug. Franc. Lug. Auerf. & alijs apud ipsos, Calices æreos, vel alterius materiae inhabilis, si intus inaurantur, reddi habiles, & adhiberi posse ad Sacrificium: imò Pasqual. Card. Delug. & Eagund. supracitati testantur de praxi frequenter Romæ, & alibi etiam nunc obleruata; ratio est, quia per inaurationem tollitur causa prohibitionis, scilicet nausea, quam causare solent dicta metalla. Secus dicendum de Calice vitreo, vel ligneo; per inaurationem enim non tollitur causa prohibitionis, quod est fractionis periculum, & ne sacras species imbibat, vt supra dictum est.

3. An autem Calix constare possit ex lapide pretioso, aliqui concedunt apud Tambur. loc. *infra cit.* quos ipse sequitur, dummodo materia sit æqualis auro, nec sit periculum, quod imbibat sacras species; vbi etiam docet in Ecclesia Valentina asseruari magna cum veneratione Calicem ex Agatha, siue Smaragdo, quo tradunt vsum fuisse Christum Dominum in vltima cœna.

4. Calicem verò argenteum, & secundum Pasqualig. *quest* 770. etiam stamneum non indigere sub graui præcepto interna inauratione docent Card. Delug. Franc. Lug. Quart. & alij, quos refert, & sequitur idem Pasqualig. *loc. cit.*

Et quoad argenteum excusat etiam à veniali, Tamb. *Meth. Miss. lib. 1. cap. 1 §. 1 nu. 4.*

5. Hac de re dicam quid sentiam. Calices ex alia materia quàm ex auro, argento, aut ad summum stamno de nouo non conficere m. 3; argenteos, & stamneos ex maiori decentia, & vt melius in ipsis fragmenta distinguantur.

(cui tamen rationi *Pasqualig. loc. cit.* non acquiescit,) intus inaurarem; sed si alicubi argentum, aut stanneum non inauratum, aut alterius materię intus tamen inauratum reperirem, tantorum virorum auctoritate fultus, ne à sacro desisterem, sine scrupulo adhiberem.

6 Quod dicitur de Calice, idem dicendum de Patena, quę debet esse ex eadem materia cum Calice; sed vsu receptum est, vt fiat vt plurimum ex cupro inaurato.

Calix cum Patena debet esse consecratus ab Episcopo, siue alio habente facultatem, vt fufius infra §. 7. vbi de benedictione sacrarum, vestium.

7 Qui vteretur Calice non consecrato (idem dicendum de Patena,) exceptis casibus necessitatis, vt ad vitandum mortem, vel graue damnum, & ad conficiendum Viaticum, vt ex *Hurtad.* & alijs docet *Pasqualig. quęst. 775.* peccaret mortaliter: est communis; Sed Calix secundum aliquos fieret in posterum aptus ad sacrificium, siue bona, siue mala fide in eo celebratum esset, nec indigeret alia consecratione; licet alij apud *Tamburin. Meth. Miss. lib. 1. cap. 1. §. 4.* & plures apud *Pasqualig. quęst. 776.* contrarium probabilius doceant: & idem *Pasqualig. loc. cit.* quamuis fateatur remanere substantialiter consecratum, probat tamen consecrandum etiam per ritus ab Ecclesia præscriptos. Nihilominus, qui illum adhiberet in Missa, postquam semel in eo consecratum est, non peccare, docet idem *Pasqualig. loc. cit. num. 9.* quod etiam docet *Dian. part. 2. tract. 14. resol. 69.* Sed contra *Dian.* insurgit *Leand. par. 2. tract. 8, disp. 7, quęst. 31.* Suam opinio-

nionem non solum probabiliorem, sed certissimam appellans: & quidem argumenta *Dian.* clarè eludit.

8 Celebrando in Calice non consecrato, præter peccatum mortale, non incurritur pœna depositionis, vt benè aduertit contra *Bonacc. Tambur. loc. cit. §. 3.*

§. 2. Quando Calix, & Patena amittant consecrationem.

I CERTUM est apud omnes, Calicem (idem dic de Patena) tunc amittere consecrationem, quando amittit formam, formam verò amittit, quando notabiliter frangitur, ita vt ineptus, vel valdè indecens fiat ad Sacrificium. Vt si cuppa separetur à pede non tornatili, vel in eius fundo foramen etiam modicissimum detegatur, & simile: & si fit materiæ ex se inhabilis, v. g. ex ære, amittit formam, & per consequens execratur etiam quando amittit inaurationem; imò quando incipiunt apparere aliquæ partes materiæ inhabilis, docet *Pasqualig. quest. 721.* Sed hæc opinio videtur nimis rigorosa, nam parum pro nihilo reputatur, & idèd solum esset vera, quando apparerent notabiliter: alioquin continuis scrupulis angeremur; cum enim valdè in vsu sint Patenæ ex cupro inaurato, rarò accidit, vt non videantur aliquantulum rubescere. Benignus tamen in hac materia loquuntur *Granad. Dicastill.* & alij apud *Leand. p. 2. tract. 8. disp. 7. quest. 28.*

2 Verum itaque non est, quod vulgi opinionem secutus. (Ita loquitur *Pasqualig. quest. 779. num. 4.*) docuit *Tamburin. de Iure Abb.*

som. 1. disp. 23. quest. 3. nu. 6. citans gratis pro se *Armill. Azor. & Barthol. ab. Angel.* cum hoc non sentiant; Videlicet Calicem amittere consecrationem, si aliquibus ictibus mallet, vel alterius instrumenti percutiatur; nullo enim fundamento nititur hæc execratio. Sed qui benè obseruat doctrinam *Tambur.* videbit fuisse errorem Typographi potius, quam Auctoris; cum ex consequentibus dignoscatur, omissam fuisse particulam negationis.

Vti etiam non potest subsistere illa opinio, Calicem execrari, si cadat supra petram, etiam nulla prorsus mutatione secuta, quam alter *Tamb. Meth. Miss. lib. 1. cap. 2. §. 5. nu. 9.* iniuste obijcit *Bonaco. de Euchar. disput. 4. quest. ult. punct. 9. nu. 19.* cum hoc non dixerit.

3. Sed quid dicendum, quando Calix iam consecratus de nouo inauratur?

Multi apud *Pasqualig. quest. 782.* absolute docent, Calicem de nouo inauratum indigere noua consecratione: Multi quoque apud eundem, quos ipse sequitur, & contrarijs argumentis respondet, absolute docent non indigere: ita *Durand. Ioan. de Sylu. Sanch. Baum. Laym. Coninch. Leand. Card. Delug. Amic. Frauch. Lug. Tambur.* quibus adde *Dian. part. 2, tract. 15. Miscel. 1. resol. 3.*

4. Mihi verò distinguendum videtur sic. Si Calix de nouo inauratus sit materiae habilis, non indiget noua consecratione, sed sufficit si abluatur aqua benedicta propter laicarum manuum contactum, vt decere affirmant *Delug. Laym. & Dian.* citati à *Busemb. lib. 6. tractat. 3. cap. 3. dub. 4. num. 4.* Si verò sit materiae inhabilis debet iterum consecrari: & ratio disparitatis

ritatis est, quia hic amissa inauratione amiserat formam, vt supra dictum est, ille verò non amiserat, cum inauratio in Calice argenteo sit solum de congruentia, in æneo autem de necessitate.

f §. 3. De Corporali, & Palla.

1 **C**orporale, & ipsum ad Sacrificium necessarium, debet esse lineum, ab habente facultatem benedictum, quod posse in extremitatibus ornari auro, & simili docet *Pasqualig. quest. 787. nu. 4.*

2 Sine Corporali, & multo magis cum eo non benedicto, licebit celebrare in ijs casibus, quibus licet cum Calice non consecrato: ita multi apud eundem *Pasqualig. quest. 791.* & tunc providendum est, ne fragmenta percant: præter dictos casus esset mortale.

3 Si mihi contingeret celebrare sine Corporali, Hostiam post consecrationem retinerem super Patenam, & ad Orationem, *Libera nos, me sola manu signarem.*

4 Palla licet esse soleat eiusdem materiæ cum Corporali, & cum eodem benedici, multi tamen cum *Soto* probabiliter asserunt posse fieri ex alia materia, quam ex lino, nec esse necessario benedicendam. Huic opinioni assentitur *Pasqualig. quest. 786.* multos referens.

5 Certum tamen est apud omnes sufficere, si sit linea à parte inferiori, eiusque partem superiorem posse ornari serico, auro, & similibus, & minor causa requiritur ad celebrandum sine ea, quam sine Corporali; nam eius defectus facile potest alia re sine indecentia suppleri.

§. 4. De Purificatorio .

1 **P**urificatorij, (quod ex *Pasqualig. quæst.* 783. non est necessarium, quod sit lineum, sed sufficit si sit ex materia apta ad abstergendum,) non adest specialis benedictio, & ideo docent DD. ferè communiter, non esse benedicendum .

2 Placeret tamen cum *Laym. Fagund. & Quart. part. 2. tit. 1. sect. 3. dub. 5.* & alijs, vt saltem vna cum cæteris linteaminibus benediceretur .

3 Eius defectus potest alio linteo suppleri, nec vlla causa requiritur: quod satius est, quam vti valdè immundo; quod esse peccatum mortale, docent DD. communiter .

4 Idem dicunt de cæteris ad Sacrificium proximè pertinentibus; si sint valdè immunda, vel notabiliter lacera .

§. 5. De lotione Sacrorum, & eorum contactu .

1 **V**asa, & linteamina sacra trina lotionibus lauantur; & quoad primam lotionem decet, vt lauentur à persona sacra, & aqua in Sacrarium projiciatur; sed si lauentur à non sacra, etiam à laico, & aqua etiam primæ lotionis projiciatur extra Sacrarium, non esse mortale, secluse contemptu, dummodo projiciatur in loco mundo, docet cum alijs *Ludovic. à S. Ioann. in sum. quæst. 11. de Euchar. art. 19. dub. 2. diff. 4. appen. 1. Et Villalob. part. 1. sum. tract. 8. diff. 29. num. 5.* dicit, non esse mor.

§. 5. De lotionē sacr. & cor. cont. 75
mortale, etiamsi lauentur aqua currenti.

2 Quod si lauentur à Clerico saltem minori-
bus initiato, nullum esse peccatum, docet *Pas-
qualig. quæst. 794.* Et *Tambur. lib. 1. cap. 2. §.*
2. dicit idem de laico.

3 Ex dictis infertur 1. laicos tangentes sine
necessitate vasa consecrata, vel etiam solum
benedicta, postquam sacram Eucharistiam atti-
gerunt (idem dic de Corporali, & Purificato-
rio) peccare ad summum venialiter; ita DD. fe-
rè communiter.

Imò *Tamburin. loc. cit. §. 1.* asserit cum *Soc.
Barthol. ab Angel. Sanch.* & alijs, secluso con-
temptu, nullum esse peccatum; & ad confir-
mandam suam opinionem examinat octo tex-
tus citatos à *Suarez, & Coninch.* pro contraria
opinionē. Et quoad Clericos, quamvis sola
Tonsura initiatos, concedit extra ministerium
Missæ, etiam idem *Suarez disp. 81. de Euchar.
Sect. 8.* cum alijs, quos refert, & sequitur *Pas-
qualig. quæst. 837.*

4 Infertur secundo, multo magis licere lai-
cis tangere alias res benedictas, in quarum be-
nedictione non adhibetur sacra Vnctio, vt sunt
Vestes Sacerdotales, Corporalia, & Purifica-
toria, antequam Sacram Eucharistiam attingunt,
vel postquam lota sunt; Ita DD. commu-
niter; & idem dici potest de Pixide postquam
purificata est.

5 Infertur tertio ex *Castropal. Quart. &
Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 6. num. 21.* laicos pos-
se tangere Sanctorum reliquias, multo magis
ex *Sanch. lib. 3. Sum. cap. 43.* & alijs, Cereos
consecratos, qui vulgo dicuntur *Agnus dei*,
quia licet consecrentur Chrismate, cōsecrantur

tamen non pro solo Dei obsequio, sed pro usu omnium, quibus distribuuntur; quam orationem adducit *Pasqualig. quest. 838. nu. 10.*

§. 6. De Sacerdotalibus indumentis.

1. **P**Ræter superius dicta, ad Sacrificium Missæ necessariae sunt Vestes Sacerdotales ab habente potestatem benedictæ, videlicet, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Planeta. Quarum aliæ dicuntur *Maiores*, ut sunt Alba, Stola, *contra nonnullos*, & Planeta: aliæ *Minores*, Amictus, *contra aliquos*, Cingulum, & Manipulus.

2. Hic aduerte, posse adhiberi Stolam pro Manipulo, & Cingulo, & Manipulum pro Stola; ita Doctores communiter.

3. Celebrare sine aliqua veste ex minoribus, vel cum aliqua non benedicta, etiam ex maioribus sine causa, probabile est, non esse mortale, & cum causa neque veniale; ita *Pasqualig. cum multis quest. 808. & 810.* & celebrare absque aliqua ex maioribus conceditur solum ad vitandam mortem, vel quid simile; & si vestis, quæ deest, non sit Stola, licebit celebrare etiam ad dandum Viaticum; ita *Pasqualig. loc. cit.*

4. Celebrare cum Vestibus, quarum nulla sit benedicta, licebit, præter casus suprad. ex eodem *Pasqualig. quest. 809.* ne populus die festo careat Missa, etiamsi ex eius omissione nullum scandalum timeretur.

5. Celebrare verò absque vlla prorsus veste sacra quamuis licere ad vitandam mortem, vel graue damnum docent multi, ferè ij omnes, qui

§.
qui c
cum
q. 8
doce
6
fente
qual
dam
celeb
cap.
Sace
lenti
bus v
7
Etum
temp
quan
8
cem
Amic
lam,
leas,
cet co
leas p
babil
9
Dalm
Cruc
asseru
expor
Sanct
babil
quest
cum
Filli

§. 6. De Sacerdotalibus indumentis. 77

qui dicunt, nullam legem humanam obligare, cum periculo vitæ, quos recenset *Pasqualig.* q. 813. quam opinionem tanquam probabilem, docet etiam *Leandr. par. 2. tract. 8. disp. 7. q. 41.*

6 Nihilominus probabilior est contraria sententia, quam cum multis alijs defendit *Pasqualig. loc. cit.* qui tamen concedit, ad vitandam mortem, vel aliud gravissimum periculum celebrari posse cum sola Stola, quæ ex *Text. in cap. Ecclesiastica dist. 23.* est proprius habitus Sacerdotis; & ea deficiente licere per æquipollentiam cum sola Casula, vel cum alijs omnibus vestibus inferioribus simul.

7 Quæ omnia intelligenda sunt, vt alibi dictum est, dummodo non adsit Religionis contemptus quo casu mors potius oppetenda est, quam lex Ecclesiastica violanda.

8 Ex dictis inferitur 1. Præter Altare, & Calicem consecratum necessario benedicenda esse Amictum, Albam, Cingulum, Manipulum, Stolam, Planetam, Corporale cum Palla, Tobaeas, & secundum *Bayman*, Purificatorium; licet contraria opinio, quoad Pallam, & Tobaeas probabilis sit, & quoad Purificatorium probabilior, vt suis locis dictum est.

9 Inferitur 2. non esse necessario benedicenda Dalmaticam, Tunicellam, Altaris Pallium, Crucem, & Iconem, Tabernaculum, in quo asseruatur Sanctissimum, Ostensorium, in quo exponitur, Sphæra, seu Lunula, qua dictum Sanctissimum in ostensorio sustinetur, & probabiliter Pixidem ex *Tambur. & Pasqual. quest. 778.* & alijs plurimis; licet aliqui dicant cum *Trullench.* esse consecrandam, alij cum *Filliuc.* esse necessario saltem benedicendam,

Quia

Quia tamen in Rituali Romano assignatur propria Pixidis benedictio, benedicenda erit ex congruentia, vt monet etiam *Laym. lib. 5. tract. 5. cap. 6. num. 22.* quæ & alia supradicta, si ob maiorem decentiam benedicantur, non possunt nisi ab habente potestate benedici; ita communiter Doctores.

10 Hic nota pro Pixide, & Ostensorio, & Sphæra non adesse in Iure materiam determinatam, sed sufficere si sint ex materia decenti. *Pasqualig. quest. 773.* concedit Pixidem ex ebore, vel aliquo ligno nobili, quod optimè poliri possit: consultius tamen est, si hæc omnia fiant ex auro, vel argento, vel alia materia pretiosa, aut saltem, si propter paupertatem fiant ex alia materia inferiori, auro, vel argento liniantur. Videri poterunt hac de re *Suar. Hurtad. Marchin.* & alij communiter. Et quod Pixides non possint fieri ex ebore adest declaratio *Sacr. Rit. Congreg 26. Iulij 1588.* Teste *Gauant. in Manual. Episcop. Verb. Eucharistia, nu. 5.*

§. 7. *Quis possit Altaria, & Calices consecrare, & Indumenta Sacerdotalia benedicere.*

1 **A**ltaria, Calices, & alia, in quibus adhibetur sacra vnctio consecrare potest Episcopus in sua Diocesi, & in aliena quoque de licentia Ordinarij loci, vel Vicarij Capitularis Sede vacante.

2 Possunt etiam Abbates habentes vsu Pontificalium in locis sibi subiectis, non ex vi potestatis Abbatialis, sed ex Priuilegijs, quæ refert *Tamb. de Iure Abb. tom. 1. disp. 23. q. 2.*

3 Alia

3 Alia verò, in quorum benedictione non adhibetur sacra vinctio, benedicere possunt etiam alij Prælati Regulares, & in eorum absentia quicumque alius penes, quem remanet gubernatio Monasterij; denique omnes priuilegium habentes à Summo Pontifice, quo priuilegio uti posse non solum quoad ea, quæ inserviunt proprijs, sed etiam alienis Ecclesijs, docet cum multis *Pasqualig. quest. 803.* ubi non obstat declarationes *Sac. Rit. Congregat.* à contraria opinione relatas, euidenter demonstrat, & *quest. 789.* docet contra *Zerol & Barbos* Episcopos posse etiam in aliena Diocesi absque licentia benedicere Corporalia, & consequenter ea omnia, quæ sacram vinctioem non requirunt; quia talis benedictio, ut per se patet, non est exercitium Pontificalium, cum etiam ab alijs non habentibus Pontificalium usum benedicantur, ut supra dictum est.

4 Ex dictis patet, Ecclesias consecratas, si polluantur, posse reconciliari ab ijs, qui possunt eas consecrare; qui sunt Episcopi, & Abbates quoad Ecclesias sibi subiectas.

5 Alij verò Superiores Regulares possunt quidem reconciliare suas Ecclesias, etiam consecratas, & hoc virtute Priuilegiorum, præsertim Iulij II. & Leonis X. sed cum aqua ab aliquo Catholico Antistite prius benedicta; quam poterunt iidem Regulares benedicere, si Episcopus distet per duas diætas, quas aliqui dicunt debere esse legales, quarum vna est spatium viginti miliariorum, sed quilibet excessus etiam vnus tantum miliarij supra viginti computatur pro secunda integra diæta; alij verò dicunt probabilius intelligendas esse diæ-

dietas vulgares, quarum singulae sunt iter diei, iuxta consuetudinem regionum.

Sed *Pasqualig. quaest. 610.* cum alijs ostendit ex verbis eiusdem Privilegij Leonis X. posse dictos Regulares aquam per seipsos benedicere, etiam si non absit Episcopus.

6 Ecclesias non consecratas, sed solum benedictas potest reconciliare simplex Sacerdos, & de iure non requiri licentiam Episcopi, sed solum ex convenientia, docent DD. apud *Pasqualig. quaest. 604.* unde dicunt, quod si inchoata Missa, etiam ante Canonem, polluatur; idem Celebrans potest illam reconciliare, & deinde proseguere Missam. Vide *Tambur. Meth. Miss. lib. 2. cap. 7. §. 1.*

7 Quod si Ecclesia esset consecrata, quamvis eam non posset reconciliare, posset nihilominus Missam proseguere etiam ante Canonem, sequens probabilem opinionem relata supra *cap. 1 §. 12. sect. 2.* docentem, ad hoc, ut Ecclesia habeatur polluta, requiri sententiam Iudicis; quae omnia vera sunt, praesertim pro Ecclesijs ruralibus, ubi non est facilis recursus ad Episcopum.

§. 8. *Facultas benedicendi sacra indumenta an possit delegari.*

Huiusmodi facultatem concedi solum a Summo Pontifice, nec posse delegari ab Episcopo, ne suo quidem Vicario, docent communiter DD. quia est actus ordinis, & ita servatur in praxi. Nihilominus *Pasqualig. 801. cum Possewin. Nigr. & Quart.* contrarium mordicus conatur defendere, quam opi-

§ 9. Sac. ind. quando amitt. bened. 81
nionem docuit etiam *Castropal. part. 4. tract.*
22. disput. unic. punct. 10. num. 2.

§. 9. *Sacerdotalia indumenta, quando
amittant benedictionem.*

1 **S**olum amittere benedictionem, quando
ita rumpuntur, aut lacerantur, vt amit-
tant formam suam artificialem, & non sint am-
plius habilia pro functione, cui inferuire debent
docent communiter Doctores apud *Leand. par.*
2. tract. 8. disp. 7. quest. 45.

2 Ex dictis colligitur 1. non amittere bene-
dictionem, si aliqua vestis paulatim reficiatur,
quamuis tractu temporis secundum maiorem
partem mutetur, sicuti Ecclesia, cuius parietes
paulatim diruti reedificantur, non amittit con-
secrationem.

3 Sed si huiusmodi vestis tota dissuatur in
partes licet postea de novo consuatur amittit be-
nedictionem. Ita *Pasqualig. quest. 305. nu. 3.*
non autem si dissuatur pannus interior (vulgo
foppiano,) & alius de nouo apponatur: idem
loc. cit. nu. 6.

4 Colligitur 2. non amittere benedictionem
si partes vestis connexæ inter se amouibilitate
separentur, ita *Delug. de Euchar. disp. 20. sect.*
4. nu. 93. & alij communiter, amitteret tamen
benedictionem si separaretur aliqua pars nota-
bilis non amouibilis, vt manica ab Alba, vel
quid simile; ita communiter.

5 Colligitur 3. si vestes sacræ duplices sint,
ita vt ex vna parte inferuiant pro vno colore, &
ex alia pro alio, non amittere benedictionem,
si inuicem separentur, & simplices fiant. Ita
cum

cum multis *Dicastill. de Sac. tract. 5. disput. 4. dub. 10. num. 211.* & si singulae supparentur, non indigent noua benedictione iuxta ea, quae dicta sunt *nu. 3.*

6 Colligitur 4. quod si ex Stola fiat Manipulus, & è contra non opus esse noua benedictione, ita docet cum alijs *Pasqualig. quest. 805. nu. 8.* dummodo additio seu detractio materiae fiat secundum minorem partem, quod vix potest contingere, cum hodie adhibeatur Manipulus multo breuior Stola; & sic neutrum fieri poterit sine notabili additione, aut detractioe, & ideò indigebit noua benedictione.

7 Idem dicendum, si ex pluribus Manipulis fieret Stola, vel ex pluribus Amictibus Alba, indigerent vtique noua benedictione; ita *Tambur. Meth. Miss. lib. 1. cap. 3. §. 3. num. 7.* qui tamen vult dictos Amictus, & Manipulos, si disuantur, posse suo vsui restitui sine alia benedictione, dummodo suam formam non amiserint; Sed contrarium tanquam verum tenendum est cum *Pasqualig. loc. cit. nu. 9.*

8 Colligitur 5. non amittere benedictionem, si à laicis, etiam Hæreticis, & Schismaticis adhibeantur ad vsus prophanos. Ita statuitur in *cap. A nobis, de Sac. non iterand.* & docet cum alijs *Pasqualig. loc. cit. nu. 10.*

9 Colligitur 6. Cingulum tunc amittere benedictionem, quando ita rumpitur, vt nulla illius pars integra apta sit ad cingendum, est fere communis: nec sufficit: si nodo vniatur, vt cum paucis docet *Dian. par. 2. tract. 14. resol. 57. & tract. 15. resol. 4.* quem impugnat *Leand. part. 2. tract. 8. disput. 7. quest. 47.* & alij communiter.

dum,
alia pa
tanqu
hitur a
cum pa
consecr
806. n

ambæ n
adhibe
si nodo
tur; ita
in hac
nu. 2. l

I P R

opinion

Meth. A

13. di&

2 Ec

consecr

ta, certu

rin. loc

docet,

Ecclesia

re quide

ficatum

prescrip

nam ce

§. 10. *An Sacerdot. indumenta, &c.* 83

10 Sed si vna pars remaneat apta ad cingendum, retinet benedictionem, cui si annectatur alia pars inepta, benedictionem recuperat, quia tanquam accessoria, & minus principalis trahitur ad communicandum in benedictione, cum parte maioris; ita *ex cap. Quod in dubijs, de consecr.* probat cum multis *Pasqualig. quest. 806. num. 6.*

11 Si ambæ partes sine aptæ ad cingendum, ambæ retinent benedictionem, & separatim, adhiberi poterunt, & nodo vnita: multo magis si nodo vniantur, antequam prorsus lacerentur; ita DD. communiter: scrupulosius tamen in hac materia loquitur *Gauant. par. 2. tit. 1. nu. 2. litt. R.*

§. 10. *An Sacerdotalia indumenta, & alia adhibita ad Sacrificium ante benedictionem remaneant benedicta.*

1 **P**robabile est post talem vsum non indigere alia benedictione, sed contrariam opinionem probabiliorem vocat *Tamburin. Meth. Miss. lib. 1. cap. 1. § 4. vt supra §. 1. num. 13.* dictum est.

2 Ecclesiam verò, & Altare, si in ipsis non consecratis celebretur, non remanere consecrata, certum est; qua de re videri potest *Tamburin. loc. cit. nu. 8. & Pasqualig. quest. 526.* vbi docet, neque per æquipollentiam sanctificari Ecclesiam, & *quest. 683.* docet, Altare remanere quidem per oblationem in eo factam sanctificatum; debere tamen consecrari iuxta ritum præscriptum; quamuis qui in eo post primam celebrationem Sacrificium offerret non

E pec-

peccaret, quia iam est aequipollenter deputatum ad Sacrificium, ita dicta *quæst. 683. nu. 23.* licet contrarium sit probabilius, ut cum *Leand.* dictum est supra §. 1. *nu. 13.* ubi de Calice non consec.

§ Idem dicendum de Ecclesia polluta, enim in ea, siue bona, siue mala fide celebratur, remanet substantialiter reconciliata, ita ut qui deinde in ea sacrum faceret, non peccaret: rationem disparitatis in hoc, & superiori casu, affert *Leand. loc. cit.* quamuis hanc opinionem non sequatur: deberet tamen reconciliari ritualiter, id est per ritus à Sacris Canonibus præscriptos: ita idem *Pasqualig. quæst. 509. Delug.* & alij, licet aliqui cum *Del Bene de Immunit. par. 1. cap. 2. dub. 2. sect. 11.* absolutè doceant non egere alia reconciliatione.

An aliqua pœna incurratur celebrando in Ecclesia polluta dictum est supra *cap. 2. §. 1. num. 2.*

§. 11. *Qualo peccatum sit uti vasis, & vestibus sacris ad usus prophanos.*

1 **E**sse peccatum ex genere suo mortale, & quoad ea, quæ immediatè Sacramentum attingunt, graue sacrilegium, quandiu retinent suam formam, & consecrationem, seu benedictionem non amiserunt, docent communiter DD. & videri potest *Suar. de Sacr. disp. 81. sect. 8.*

2 Dixi ex genere suo, nam per accidens, ut ex paruitate materix, potest esse veniale, ut si quis sudorem Mappa benedicta abstergeret, & alia huiusmodi, *Tambur. loc. cit.*

3 Nonnulli cum *Dicastill. de Sacr. tract. 5. disp. 4. dub. II.* excusant à peccato vrentes sacris vestibus pro representatione Comædiæ sacræ in loco sacro; sed alij communiter id non admittunt.

4 Ex dictis colligitur ex *Tambur. Meth. Miss. lib. 2. cap. 2. §. 3.* nullum esse peccatum vti ad prophanum vsum ex Ecclesiastica suppellectili ijs, quæ non solent consecrari, aut benedici, vt Candelabris, Aulæis, Pelui, Manuterigio, (idem dic de Rochetto, Superpelliceo, & similibus,) quia non sunt propriè res sacræ. Excipienda tamen sunt Purificatorium, Pixis, & alia, quæ immediatè tangunt Eucharistiam, licet ex probabili opinione, vt alibi dictum est, necessario benedicenda non sint; nam per ipsum solum contactum sanctificantur. *Pasqualig. quæst. 836. num. 6. & 7.* peccati non condemnat vsum (abulum potius) præbendi Patenam populo deosculandam, & potum ægrotantibus in Calice; quia, quæ sunt, inquit ille, ob deuotionem, eleuantur ad esse sacrum; sed verè huiusmodi consuetudo non est laudabilis, quam reprobatur *Concil. Mediolan. Promitt. 1. & Ganant. in Manual. Episcop. V. Missa ritus, num. 22.*

5 Colligitur 2. nullum, vel lenissimum esse peccatum, secluso scandalo, conuertere in vsum prophanos supradicta vasa, & alia indumenta, postquam amissa forma amiserunt consecrationem, seu benedictionem: ita cum alijs *Castropal par. 2. tract. 8. disp. 1. punct. 6. num. 25.* licet omninò deceat, vt ad alium sacrum vsum, ad quem fortasse apta sunt applicentur, sin minus comburantur, vt habetur

in cap. ligna, de consecr. distinct. 1. & cap. Altaris, de consecr. item distinct. 1.

6 E contratio vasa, vestes, & alia huiusmodi prophanis vsibus dicata conuerti possunt in sacrum vsus præuia benedictione, seu consecratione Episcopi, prout ministerium, cui deseruire debent, postulabit: ita communiter DD.

§. 12. *De Coloribus Paramentorum.*

1 **C**irca colorem nihil in Iure determinatum est; solum ex consuetudine quinque adhibentur, Albus, Rubeus, Viridis, Viola-cens, Niger, vt ex *Rubric. Miss tit. 18. num. 1.* quam Rubricam DD. communiter affirmant esse directiuam, non præceptiuam.

2 Ex quo sequitur, quod secluso scandalo, & contemptu, vti indifferenter dictis coloribus non erit mortale, & si aliqua adsit causa, neque veniale.

3 Solum ex *Pasqualig. quest. 798. num. 5.* peccaret mortaliter, qui sine rationabili causa vteretur colore nigro in die summæ solemnitatis, & lætitiæ.

Quando autem hic, vel ille color adhibendus sit, patet ex *Rubrica Missalis dicto tit. 18. per tot.*

4 Hic libet innuere ex *Quart. par. 1. tit. 18. dub. 12.* colorem auri inseruire posse pro omnibus coloribus, præter violaceum, & nigrum. Sed *Pasqualig. loc. cit.* extendit etiam ad istos, probans quod aliqualis ille pallor auri facit, vt dictus color congruat etiam pœnitentiæ, & tristi-tiæ.

5 Quando Missa discordat ab Officio, color Altaris sequitur Officium in Missa priuata; sed in Missa solemnī conuenit, vt pallium Altaris, dum Missa cantatur, concordet cum colore paramentorum Missæ: quod ex *Ruiz* notat *Gauant. par. 1. tit. 18. n. 6 pag 52.*

6 Sed *Quartus loc. cit. dub. 3.* probat, quæ docet *Gauant.* quo ad Altare Chori, sed quo ad alia Altaria absolutè docet, ornanda esse pallio Missæ conuenienti, & bonis utitur rationibus; Nihilominus libentius amplector opinionem *Gauanti*; Nam dum color Altaris discordat à colore Missæ docetur quodammodo populus, quod ea die Missa discordat ab Officio.

7 Hic nota, quod in Dominicis infra Octauas dicitur Missa de Dominica in paramentis coloris Octauæ, non Dominicæ conuenientis (præterquam in illis Dominicis, quibus tributus est color violaceus, vt habetur in *Rubric. Missal. tit. 18.*) cum sola commemoratione octauæ, nisi facienda sit commemoratio simplicis.

8 Si verò in eadem Dominica occurrat Festum duplex, dicitur Missa de Duplici, cum commemoratione Dominicæ, & Octauæ, & Euangelio Dominicæ in fine. Vbi verò ex consuetudine cantatur etiam Missa de Dominica, cantabitur in Paramentis Octauæ, non Festi conuenientibus, sine commemoratione Festi, cum Præfatione de tempore, non Festi, nisi Octaua habeat propriam; & in Missa de Festo non fiet commemoratio Octauæ, vt clarius dicitur infra.

9 Si verò occurrat etiam Festum simplex,

E 3 eius

eius commemoratio fiet in Missa de Festo, non Dominicæ, nisi Festum sit primæ, vel secundæ Classis; tunc enim necessario commemoratio Simplicis facienda esset in Missa Dominicæ, ne omitteretur.

10 Si autem dies Octaua venerit in Dominica, dicetur Missa Octauæ cum commemoratione Dominicæ, & Euangelio in fine, (& in hoc casu, sicut in superiori, etiam in Cathedralibus, & Collegiatis vnica tantum Missa cantanda esset) præterquam si dies Octaua occurreret in Dominica priuilegiata, tunc enim diceretur Missa de Dominica, cum commemoratione Octauæ.

11 Vbi verò in superioribus, & similibus casibus cantatur ex consuetudine etiam Missa de Dominica cantanda est sine commemoratione Festi, cum Præfatione de Tempore, non Festi, & in paramentis Dominicæ conuenientibus; itaut vbi cantatur Missa Dominicæ in Festo SS. Trinitatis, cantetur in paramentis viridis coloris, sine commemoratione Festi, & cum Præfatione communi, & ita seruetur in Metropolitana Florentina. Huiusmodi tamen Missæ, vt supra dictum est, non essent cantandæ.

12 Quando autem duæ Missæ necessario cantandæ sint, docet *Gauant. par. 4. tit. 15.*

13 Qui color adhibendus sit in expositione Sanctissimi Sacramenti ob diuersas causas dicitur *lib. 3. cap. 2. §. 5.*

14 Hic queri potest quando cantantur duæ Missæ, & facienda est commemoratio Simplicis, vel diei infra Octauam, vel alicuius Vigiliæ vbi facienda erit? in vtraque Missa, an verò

verò
1
du
cier
vtr
1. t
Qu
rem
mo
Oct
par
uis
alig
& f
Vig
mo
non
pro
20.
1
pra
cum
tion
min
min
Oct
rum
dici
1
mæ
mor
alia
1
ctar
fide

verò in altera tantùm? & in qua?

15 Respondeo cum *Quart. part. 1. tit. 7. dub. 2.* Commemorationem prædictam faciendam esse in altera tantùm, non vero in utraque Missa, & idem docet *Gauant. part. 1. tit. 7. lit. H.* Et debet fieri, sequitur idem *Quartus*, in ea Missa, cum qua habet maiorem connexionem, & affinitatem. Commemoratio ergo Festi simplicis, vel de die infra Octauam debet fieri in Missa de Festo, quia pariter commemoratio est de Festo, quamuis simplici, non de Feria. Quando verò in aliqua Feria privilegiata concurrat Festum, & facienda est etiam commemoratio alicuius Vigilæ; ubi cantantur duæ Missæ, commemoratio Vigilæ facienda est in Missa Feriæ, non Festi, vt manifestè colligitur ex *Missal. in proprijs Rubricis die 28. Iunij, & die 15. & 20. Septembris.*

16 Ab hac doctrina *Quart.* excepimus supra Dominicam infra Octauam occurrentem cum Festo duplici, ubi diximus Commemorationem Octauæ faciendam esse in Missa Dominicæ, non Festi, & merito, quia Missa de Dominica in eo casu est propria Missa de infra Octauam, vt colligitur ex colore paramentorum, & duabus tantùm orationibus, quæ in ea dicuntur.

17 Excipiendum quoque est Festum primæ, vel secundæ Classis, nam tunc Commemoratio Simplicis necessario facienda esset in alia Missa, vt supra indicatum est.

18 Hæc omnia ad Sacrificium Missæ spectantia inuisse sufficiat. Plura, quæ hic desiderantur, videri poterunt in Opusculo verè

aureo R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu; cuius titulus est, *Methodus celebranda Missa*, & fusius in magno tractatu *de Sacrificio nouæ legis*, R. P. Zacchariæ Pasqualis Clerici Regularis Theat. Fusè etiam hanc materiam pertractat R. P. Paul. Maria Quarantius eiusdem Congreg. Clericus in *Commentar. ad Rubric. Missalis*.

Tabellam hor. Hor. V. in fin.

Finis Libri Primi .

SACRI ENCHIRIDII

LIBER SECVNDVS.

In quo traditur ritus seruandus in celebratione Missæ priuatæ .

CAPVT VNICVM.

Continens Miscellanea spectantia ad Missam .



Antequam Rubricarum explicationem aggrediar, te monitum volo, amice Lector, Missam iuxta ea, quæ tradit *Gauant. par. 3. tit. 11. nu. 13.* celebrandam esse cum litteris quinque, A, B, C, D, E, hoc est, *Altè, Breuiter, Clarè, Deuotè, Exactè*: quæ omnia sic explicat.

Altè, vt audiatur; ita tamen, vt alios in eodem loco tunc temporis celebrantes non impediat; & si dum aliquis celebrat, alius eo superior Missam incipiat, decet vt minus dignus humiliori voce proferat, & quando sunt æquales, cedat qui in minori Altari ei, qui in maiore sacrum facit, vt benè aduertit *Bauld. par. 1. cap. 2. nu. 4. pag. 214.*

Breuiter, non vltra mediam horam, vel paulo vltra. Hinc videant, quam longè aberrant ij Sacerdotes, si qui sint, exactam Sacrarum ceremoniarum obseruantiam negligunt dicentes, esse in præcepto apud Theologos, & ceremoniarum Magistros, vt Missa sit breuis, & ex *Thoma à Kempis* commoditati

E s po-

potius adstantium, quam propriae deuotioni inseruiendum: id enim cum praëiudicio reuerentiae tanto Sacrificio debitae non potest intelligi. Et licet nequeat omnibus eadem mensura temporis assignari, cum alij alijs agiliores in gestibus, & in legendo promptiores existant; nihilominus tot sunt, vt videre est in sequentibus, quae praescribuntur seruanda in Missa, vt impossibile moraliter sit, posse intra breue quadrantis horae spatium, quod multi non pie praesumunt, debito cum decore seruari. Legant huiusmodi Sacerdotes, quos libenter, nisi honor Sacerdotalis obsisteret, Missarum dicerem Helluones, legant inquam *D. August. serm. 251. de temp. Alexand. Sperell. Episc. Engub. in sua Parenasi Theleturg. cap. 36. & Ioann. Franc. Maia Materden. de utili terrore peccatoris par. 7. cap. 24.* vbi intelligent, duas horas in celebratione primitiuae Ecclesiae Sacerdotes impendere consueuisse, grauesque dedisse poenas Diuini cultus contemptores, & vt *Sperelli verbis utar*, abbreviatores.

Antonius Molin. Instruct. Sacerd. tract. 3. cap. 14. monet, spatium integrae horae propter indeuotorum multitudinem esse nimis prolixum, trium quadrantium iuxta rationem, minus praeter decentiam.

Ex dictis colligent non rigorosam, sed valde benignam esse *Gauanti* opinionem, quam docent etiam DD. ferè communiter.

Obijcient *Molfes. Verricell. & Quart. in Rubric. Missal. par. 1. tit. 16. dub. 6. diff. 2.* excusare à peccato tertiae partis horae spatium celebrantem.

Id vtique non ignoro, & vtinam tertiam ho-

rae partem, quam sibi satis esse contendunt, celebratione impenderent: Nihilominus repeto, non posse omnibus idem temporis spatium assignari, & concludo cum *Pasqualig. quaest. 228.* & alijs, in celebratione Missae alius esse declinare ad moderatam prolixitatem, quam ad decentem accelerationem, ita maiestate tanti Sacrificij, & reuerentia illi debita exigente.

Clarè, vt omnia verba integrè proferantur.
Deuotè, vt attendatur ad ea, quae dicuntur.

Hic obiter nota, distractionem internam voluntariam etiam in Canone, & quod magis est, in ipsa Consecratione, secluso tamen periculo errandi, probabile putat cum alijs *Quart. par. 1. tit. 16. dub. 5. §. 2.* non esse peccatum mortale; quod non displicet *Pasqualig. quaest. 104.* vbi etiam docet cum *Suarez*, in ijs, quae memoriter dicuntur, sufficientem attentionem non posse deficere.

Idem dicendum cum eodem *Quart. loc. cit.* de voluntaria distractione in proferenda forma aliorum Sacramentorum: quae opinio (licet contraria sit probabilior, & communis, ideoque omninò seruanda, vt ipse quoque fatetur) scrupulosus non erit inutilis.

Dictum est *secluso periculo errandi*, quia si quis voluntariè distractus aduerteret, se erraturum in re graui, & adhuc in distractione persisteret, peccare mortaliter negari non potest.

Verum tamen est, quod Communionem recipere cum voluntaria distractione, non esse mortale docent communiter DD. apud eundem *loc. cit.*

Exactè, vt seruentur omnia, quae praescribuntur à Rubricis.

Sciendum itaque est, inter Rubricas alias esse Præceptiuas, quæ ex genere suo obligant ad mortale, nisi paruitas materiæ, in aduertentia, vel alia causa excuset; alias verò Directiuas, quæ cum sint de consilio, non obligant saltem sub mortali; vt docent communiter DD. quæ Rubricas de Defectibus vocant Doctrinales, vt ex Pasqualig. quæst. 799. nu. 7. dictum est supra lib. 1. cap. 3. §. 1. nu. 4. quapropter hoc, vel illo modo, secundum probabiles DD. opiniones, sine culpa seruari poterunt.

Sed difficultas est assignare certam regulam, qua dignoscatur, has esse præceptiuas, illas non item. Ideò scire iuuat, quod ex *Delug. & Marchin.* docet *Tamb. Meth. Miss. lib. 2. cap. 5. §. 1. num. 5.* videlicet, omnes Rubricas, vt tales, esse directiuas: & solum censendas præceptiuas, quæ continent aliquid, quod aliàs ex iure, seu legitima consuetudine grauitè obligat, vel quod ab ipsis Rubricis expressè sub mortali præcipitur.

Huiusmodi sunt (quantum ex DD. colligere potui.) Primò, quæ versantur circa integritatem Sacrificij, nimirum, quæ præscribuntur de materia, forma, intentione, consecratione, & sumptione vtriusque speciei; de aqua vino miscenda, & de pane azymo in Ecclesia Latina; Secundò, quæ circa reuerentiam eidem Sacrificio debitam, puta, de ieiunio seruando ante celebrationem, de confessione præmittenda, de loco, de ara consecrata, de vasis, vestibus, & alijs rebus sacris, de hora celebrandi, de lumine, de ministro circa Altare inseruiente, de non adhibendo pileolo, neque alio Missali, præter Romanum, sine dispensatione Pontificis

cis, de non addendo, vel minuendo aliquid in Missa, & si quæ alia id genus sunt: quæ omnia ex genere suo obligant sub mortali, nisi paruitas materiæ, vel alia causa excuset, vt in suis locis dictum est, & dicitur.

Alia Rubricæ sunt solum directiæ, non obligantes sub mortali, dummodo non negligantur cum scandalo, ex graui contemptu, vel cum animo inducendi nouum ritum: tunc enim esse mortale omnes fatentur.

Exposcit tamen reuerentia tanto Sacrificio debita, vt omnes Rubricæ tam præceptiæ, quàm directiæ exactè seruentur: circa quam exactam Rubricarum obseruantiam, nonnulla, de quibus passim dubitari solet, liceat prænotare.

1 Infra hebdomadam Passionis in Missis de Festo, & votiuis dicitur *Psal. Indica me Deus, &c. & Gloria Patri* ad Introitum, & *Lauabo*, quia non sunt Missæ de tempore.

Gauant. & Bauldr. volunt dici etiam infra hebdomadam Passionis in Missis votiuis de Passione, & de Cruce; sed contrarium docet, quoad Missam Passionis cum *Risiz. Alcoz. & Castald. Quart. par. 2. tit. 3. Rubric. num. 6.* quia verè est Missa de tempore, licet non sit de die, & Rubrica loquit. Psalmum omittendum in Missa de tempore.

2 Tempore Paschali adduntur in fine Introitus duo *Alleluia*, in fine Offertorij, & Communionis additur vnum, vbi non habetur: *Quart. par. 1. tit. 4. dub. 1.*

3 Quando Missa concordat cum Officio, quoties in Officio dictum est *Te Deum*, dicitur *Gloria in Excelsis*, cui correspondet *Ite Missa*

issa est. Dicitur insuper feria 5. in Cœna Domini, & Sabbato Sancto, licet in Officio non dicatur *Te Deum*, *Rubr. tit. 8. num. 3.*

4 Dicitur etiam in Missa de Sancto, cuius memoria eo die in Martyrologio notatur, quamvis de eo nulla fiat commemoratio in Officio. *Bauldr par. 3. tit. 8. pag. 221 & alij.*

5 Item in Missis votivis Angelorum quocumque die, & B. M. V. solùm in Sabbato, non autem alijs diebus, (nisi ex privilegio, quod Lauretanæ Domui concessum affirmat *Gavant. par. 1. tit. 8. num. 4. lit. B.*) neque infra Octavas Festivitatum eiusdem; quod dicendum est etiam de alijs Sanctis, quando infra Octavas celebratur eorum Missa eo die, quo de ipsis non recitatur Officium: Ratio manifesta est, quia pro eo die sunt Missæ votivæ; Dicenda tamen esset Missa propria Octavæ, sed sine *Gloria*, & *Credo*, ut docet *Callist. Puccinell Gener. Sersior. in Cereimonial sua Relig. pag. 163.* Dissentit tamen *Quart. part. 1. tit. 14. dub. 3.* dicens ab huiusmodi Missis esse abstinendum, sed si dicantur dicendas esse cum *Gloria*, & *Credo*, si Octava id patiatur, cum sint semifestivæ.

6 Quando in Missa adhibetur color violaceus nunquam dicitur *Gloria in Excelsis*; Et *Credo* solùm dicitur in Festo Sanctorum Innocentium, & in Dominicis, quamvis Missa non respondeat Officio, ut cum cantatur Missa solemnis pro re gravibus, ex *Rubr. Missal. recogniti tit. 11. & à simili docet Bauldr part. 3. tit. 11. nu. 4. pag. 224.* dicendum esse etiam in alijs Festis, quæ illud requirunt, v. g. Apostolorum, & Doctorum, quando cantur talis Missa solemnis etiam in paramentis violaceis; sed

in praxi seruatur contrarium .

7 In Missis in simplicibus, votiuis, & ferialibus Orationes dicuntur impares, tres, quinque, aut septem; exceptis Ferijs à Dominica Passionis, vsque ad Dominicam Palmarum, in quibus duæ tantùm dicuntur : & si in ijs occurrat fieri de aliquo Semiduplici, vel dicatur Missa votiuæ, dicuntur tres Orationes, Sed vbi cantantur duæ Missæ, in singulis earum duæ tantum dicuntur *Bauldr. par. 2. tit. 9. num. 3. pag. 222. ex Rubric.* Si verò fiat commemoratio Simplicis non additur tertia, quod etiam seruatur infra Octauas Paschatis, & Pentecostes; *Claud. Arnaud. par. 1. tit. 9. de orat. num. 5. Gauant. par. 1. tit. 9. num. 8. & Bauldr. loc. cit.*

8 Quando dicenda est Oratio imperata à superiori, dicatur loco tertiæ ad libitum, vel addatur vti commemoratio, seruando tamen Regulam superius latam; nec debet propter ipsam omitti vlla ex assignatis à *Rubr. Gauant. part. 1. tit. 9. num. 16.*

9 Dicta Oratio omittitur in duplicibus primæ Classis, & ex communiore vsu, inquit *Gauant.* etiam secundæ. Sed in duplicibus secundæ Classis omittitur solum in Missa solemni.

10 In Duplicibus primæ Classis tam in Missa solemni, quam priuata fit commemoratio diei Octauæ, Dominicæ, & Feriæ privilegiatæ; non tamen Vigiliæ, S. Simplicis, nec diei infra Octauam, nisi Natiuitatis Domini, Epiphaniæ, & Corporis Christi, de quibus semper fit commemoratio.

11 In Duplicibus verò secundæ Classis in Missa solemni non fit commemoratio Simplicis, nec diei infra Octauam, nisi sit ex supradictis

ctis

Etis in Missis tamen priuatis fit de omnibus ,
etiam de Simplici , præterquam de die infra
Octauam .

12 In Ferijs Quadragesimæ non dicuntur
quatuor Orationes , & si Oratio *Omnipotens*
dicenda esset quarto loco, potest omitti; tunc
enim ex *Gauant. par. 1. tit. 9. num. 16.* idem
quartam, vel adde quintam, inquit *Bauldr. loc.
cit. num. 8.* quod etiam seruandum est in ipsis
Dominicis Quadregesimæ; scilicet Oratio
Omnipotens omittetur; idem *loc. cit.* & si dica-
tur, non additur quinta .

13 In Dominicis infra Octauas duæ tan-
tùm orationes dicuntur , nisi occurrat com-
memoratio alicuius Simplicis , vel Oratio ex præ-
cepto Superioris; Multo magis in Dominica
priuilegiata occurrente in ipsa die Octauæ , fit
solum commemoratio Octauæ , *Bauldr. loc.
cit. tit. 9. nu. 5.*

14 Exceptis Duplicibus 1. & 2. Classis , po-
tест addi in Missa Oratio pro priuatis necessita-
tibus ; melius tamen est à similibus abstinere .
Idem *loc. cit. nu. 10.*

15 Oratio pro Defunctis dicitur semper pe-
multimo loco ; & Oratio *Fidelium* dicenda est
fer. 2. cuiuslibet hebdomadæ (excepta Quadra-
gesima, & toto tempore Paschali;) & prima die
cuiuslibet mensis (excepto Aduentu , Quadra-
gesima, & tempore Paschali ,) quod debet in-
telligi, nisi dicti dies sint impediti Officio 9. Le-
ctionum; & si impedita est fer. 2. pro ea hebdo-
mada, Oratio pro defunctis omittitur, si vero sit
impedita prima dies Mensis , fit alia prima die
non impedita, etiam si esset vltima Mensis; con-
stat ex *Rubr. tit. 5. & 7.*

16 In votiuus dicitur 2. Oratio Officij, 3. quæ in Missa currenti diceretur 2. loco; & si 3. loco dici non potest, omittitur, nisi sit alicuius Sancti vel similis; nam tunc dicitur quarto loco, & additur quinta. Et obserua, quod quando addenda est aliqua Oratio, addi debet potius vna ex ijs, quæ secundum tempus præscribuntur à Rubric. quàm alia ad libitum, verbi gratia, infra Octauam alicuius S. occurrit Festum semiduplex cum commemoratione Simplicis; si quis ea die debeat dicere Missam votiuam, 2. Oratio erit semiduplex, 3. Octauæ, 4. Simplicis, & quia secundum regulam datam nu. 7. addenda est quinta Oratio, addatur potius Oratio *Concede*, quæ infra Octauas ponitur secundo loco, quam alia ad libitum.

17 A Regula supradicta excipitur Missa B. M. V. in qua 2. Oratio est Officij, 3. de Spiritu Sancto, quæ omittitur, si facienda sit commemoratio Sancti Simplicis; in Missa verò Spiritus Sancti non fit commemoratio B. M. V. vt aliqui putant: sed tertio loco dicitur Oratio *A cunctis*, vel alia, quæ occurrit pro tempore *Quart. part. 1. tit. 4. dub. 1.*

18 Excipitur quoq; Missa Votiuua S. Petri, in qua 2. Oratio dicitur S. Pauli, & è contra, quia non separantur 3. Officij: sed melius est dicere Missam communem de dictis Apostolis, cum 2. Oratione Officij, 3. *Concede Quart. loc. cit.*

19 Excipitur etiam Missa priuata pro gratiarum actione, in qua 2. Oratio dicitur gratiarum actionis, 3. Officij. Ita *Casanou. num. 41.* Sed *Quart. loc. cit.* dicit, & melius, Orationem pro gratiarum actione dicendam esse tertio loco. Sed in Missa solemnè dicuntur duæ tantum

Orationes sub vna conclusione cum *Gloria*, & *Credo*, quæ non dicuntur in Missa priuata; *Bauldr. par. 3. tit. 7. pag. 220.*

20 Quando dicuntur plures Orationes, dicitur *Oremus* ante primam, & secundam si prima concludatur: conclusio verò dicitur post primam, & vltimam: extra Missam dicitur *Oremus* ad omnes Orationes: in secretis Missæ ad nullam.

21 Quando vna Oratio est eadem cum alia, vltima commutatur, vt sequitur in secretis Dominicæ Septuagesimæ, quando venit ante Purificationem; & tunc pro *B. V.* dicitur Oratio, *Tua Domine*. Accidit etiam casus in Festo 40. Martyrum, occurrente fer. 5. Cinerum; in festo S. Martini Episc. in Dominica 22. post Pentecost. vel cum præcipitur à superiore Oratio *Deus refugium*. Et tunc in 1. casu sumitur Oratio Fetæ 6. Cinerum in 2. Oratio Dominicæ 23. in 3. Oratio, quæ sequitur pro quacumque tribulatione: ex *Gauant. par. 1. tit. 7. nu. 8.*

22 In faciendis commemorationibus hic ordo seruandus est: dicuntur prius Orationes præscriptæ à Rubrica, deinde imperata à Superiore, vltimo loco, quæ dicuntur ad libitum, habitatione dignioris, eo ordine, quo disponuntur in Missali Missæ votiuæ. *Bauldr. & alij communiter.*

23 Si contingat ante Epistolam omittere aliquam Orationem ex dicendis, suppleatur in Collectis secretis, dicendo vtramque; at si etiam in secretis omittatur, non debet suppleri post Communionem, sed omnes tres dicendæ in Sacristia: *Gauant. par. 3. tit. 10. nu. 16. idem dicendum, si quid aliud omittatur.*

Hic

Hi
data c
iuxta
requ
pecca
Sec
tem n
aut ad
Pasqa
esse at
gnific
nal. u
nomi
ducit
sequit
non e
partic
Meth
apud
etiam
contē
riæ; &
deter
lum e
tant e
Trul
7. &
& plu
Ho
opera
aliqu
venia
ter qu
Missæ
si ad

Hic nota, quod omittere, siue addere aliquid data opera peccatum est, siue leue, siue graue iuxta qualitatem materiae, & minor, materia requiritur in Canone ad constituendum graue peccatum, quàm in alijs partibus Missae.

Sed quamuis aliqui non extendant paruitatem materiae in Canone, nisi ad duo, vel tria, aut ad summum quatuor verba; nihilominus *Pasqualig. quaest. 202. nu. 7.* existimat, non esse attendendam quantitatem verborum, sed significationem, vnde probabile putat cum *Bernal.* non esse mortale, omittere octo, vel decem nomina Sanctorum, quia talis omissio non inducit variationem significationis: & multi, quos sequitur *Dian. par. 2. tract. 17. resol. 14.* docent non esse mortale omittere in consecratione particulam enim; & addunt *Sot.* apud *Tamb. Meth. Miss. lib. 2. cap. 5. § 2. num. 3.* & *Cabrera* apud eundem *Dian. loc. cit.* hoc esse verum etiamsi omittatur ex contemptu, dummodo contemptus sistat intra limites illius leuis materiae; & ratio est, quia contemptus diuinæ legis determinatus ad materiam peccati venialis solum est culpa venialis. Probabilius tamen putant esse mortale, etiam secluso contemptu, *Trullench. de Sacram. lib. 3. cap. 3. dub. 1. nu. 7.* & *Castropal par. 4. tract. 21. punct. 7. nu. 1.* & plures apud ipsos.

Hoc autem intelligendum est si fiat dedita opera: nam quando omittitur, vel additur aliquid ex negligentia, non excedere culpam venialem docent communiter Doctores, inter quos aliqui affirmant, addere aliquid in Missa nunquam esse peccatum mortale, nisi addatur animo inducendi nouum ritum.

Sed

Sed à contraria opinione communi, & vera non est recedendum.

24 Ex dictis infertur non esse mortale omittere *Gloria*, & *Credo*, vel quid simile, vt cum *Delug.* docet *Tambur loc. cit. nu. 5.* Imò Sacerdos in Missa solemnè omittere poterit sine vlla culpa Epistolam, & Euangelium, quæ à Diacono, & Subdiacono cantantur: ita docet cum alijs *Diaz part. 2. tract. 14. ref. 42. & par. 5. tract. 13. ref. 9.* Et *Sanch. lib. 7. conf. 2. dub. 13. num. 3.* ex *Navarro*, & alijs asserit, huiusmodi Sacerdotem melius facturum, si dum hi cantant Epistolam, & Euangelium, ipse attentè audiat; quam opinionem *Bartholom. à S. Faust.* apud eundem *Diaz.* communem, & veriorem appellat.

Quam Doctrinam *Tambur loc. cit. num. 6.* extendit ad *Gloria*, & *Credo*, Prophetias Sabbati Sancti, Passionem Domini, & similia; quam opinionem propter autoritatem DD. tunc sequi poterunt, saltem qui ob debilitatè oculorum sine graui incòmodo legere non possunt.

Et hic omittere nolo, quod idem *Tambur loc. cit.* docet ex *Sanch. & Suar.* non bene facere recitantem Officium in Choro, (& idem dic cum socio,) si recitet submissa voce ea, quæ alij dicunt, quia obmurmurando alijs molestian- asserre potest: & hoc innui, quia quosdam scupulosiores hoc facere non ignoro.

25 In Oratione *A cunctis* litera N. exigit nomen Patroni, seu Titularis, qui esset S. Michael, vel similis, vel S. Ioan. Baptista, nominatur ante Apostolos: quod si dicatur Missa de Patrono, vel fuerit nominatus ante Apostolos, nominetur Compatronus si adsit, alioquin

po-

potest
Bauld
non p
aliquo
26
dici c
& alij
coram
tius de
27
Missã
luia,
nerum
28
Octau
fatio d
habeat
tes, die
nicana
infra C
& null
tur tan
dicatur
Domini
sit infr
tur tan
tit. 12.
29
ceptis
tio de
Defun
Bauld
gilia,
aliquo
comm

potest nominari alius Sanctus ad libitum, ex *Bauldr. par. 3. tit. 9. pag. 222. n. 8.* vnus inquam, non plures, vt aliqui non bene faciunt; est enim aliquid addere Missæ cōtra prohibitionē Pij V.

26 Oratio pro se ipso Sacerdote non debet dici coram Prælato, vel Principe ex *Gauant.* & alijs; idem seruandum in Missa conuentali coram toto Clero, tunc enim pro omnibus potius decet orare.

27 In Ferijs Aduentus quando repetitur Missa Dominica post Graduale omittitur *Alleluia*, cum versu, & à Septagesima ad fer. 4. Cinerum omittitur Tractus; patet ex *Rubr.*

28 In Missis votiujs, quæ dicuntur infra Octauam habentem Præfationem, dicitur Præfatio de Octaua, nisi habeant propriam, quam si habeant, & Octaua habeat etiã *Communicantes*, dicitur Præfatio Missæ votiuæ, & *Communicantes* de Octaua. Idem seruandum in Festo infra Octauam occurrente, licet esset 1. Classis, & nulla Octauæ fieret commemoratio. Excipitur tamen Octaua Natiuitatis Domini, in qua dicitur in omnibus Missis Præfatio Natiuitatis Domini: & dies Octaua S. Stephani in qua, licet sit infra Octauam S. Ioannis Euangelistæ, dicitur tamen Præfatio Natiuitatis, *Gauant. par. 1. tit. 12. lit. C. pag. 35.*

29 In Missis tam festiujs, quàm votiujs exceptis prædictis casibus, dicitur semper Præfatio de tempore, nisi adsit propria, & in Missis Defunctorum semper Præfatio communis: *Bauldr. & Gauant.* & in Missa solemnī de Vigilia, aut de feria priuilegiata, quæ cantatur in aliquo Festo, cantatur Præfatio de tempore, aut communis, non festi. Vide *Bauldr. par. 3. c. 7. tit.*

tit. 12. pag. 225. Idem dicendum de Missa, quæ cantatur pro re graui in paramentis violaceis infra Octauas, aut in die festo habente Præfationem propriam; in ea inquam cantatur Præfatio de tempore, aut communis, non Octauæ, aut Festi, quod deducitur ex supradictis.

Secus si in Sabbato, quando recitatum est Officium B. M. V. celebretur Missa votiuæ de aliquo Sancto; tunc enim 2. oratio erit de B. V. & de eadem dicetur præfatio, nisi Missa votiuæ habeat propriam, quia illa est Præfatio conueniens illi diei, & non potest assignari ratio, cur debeat fieri commemoratio B. V. & non dici de eadem Præfatio.

30 Infra Octauas, si occurrat aliqua vigilia, dicitur Missa de vigilia, licet Officium dictum sit de Octaua. Excipitur tamen Octaua Corporis Christi, in qua dicitur Missa Octauæ cum commemoratione vigiliæ *Rubr. tit. 3.* & idem seruandum in quatuor temporibus, & fer. 2. Rogationum *Rubr. loc. cit.* in quibus dicitur Missa feriæ cum commemoratione Octauæ.

31 In Quadragesima, & Quatuor Temporibus, si occurrat vigilia, Missa dicitur de feria cum commemoratione Vigiliæ; sed in Aduentu dicitur de Vigilia cum commemoratione Aduentus; in Duplicibus verò 1. Classis nulla fit commemoratio Vigiliæ, neque in Officio, neque in Missa, *Rubr. loc. cit.*

32 In Missis votiuis dicitur semper in fine Euangelium S. Ioannis; item quando Missa concordat cum Officio, nisi in Officio lecta sit 9. lectio de Homilia; *Quart. par. 2. tit. 4. dub. 1. & tit. 13. num. 2.*

33 Missa votiuæ de Sancto sumitur ex eiusdem

dem
Nati
do v
Con
non

34

alia E
re, cu

Gana

Cont

6. cap

Escob

517. r

certu

Festiu

non fi

35

minic

debet

solum

comm

6. reso

quia c

pro, et

docet

intelli

36

qua es

idem

cumq

Duple

Festo

gusti

ma, P.

siuitat

dem festo, si habeat propriam mutando verbum *Natiuitatem* in *Commemorationem*, & tacendo verba incongrua: Sin minus sumitur ex Communi, habita ratione temporis Paschalis, & non Paschalis; *Quart. loc. cit.*

34 Si exigatur Missa de Assumptione, vel alia Festiuitate B. M. dicatur votiua de tempore, cum intentione cultus illius Mysterij, inquit *Gauant.* cum alijs apud *Pasqualig. quæst. 248.* Contrarium tamen docent *Cassald. lib. 2. sect. 6. cap. 4. Alcocer. Auerf.* quos refert, & sequitur *Escobar. tom. 3 p. 1 lib. 21. problem. 110. num. 517.* nec reprobatur *Dian. par. 3. tract. 6. res. 101.* certum est, si exigatur infra Octauas dictarum Festiuitatum, dici debere de Octaua, licet ea die non fieret Officium, vt supra n. 5. dictum est.

35 Quod si infra annum petatur Missa Dominicarum, vel Festorum mobilium, dici non debet; sed si huiusmodi Missæ dicantur peccare solum venialiter, docent contra *Megal.* ferè communiter, & videri potest *Dian. par. 3. tract. 6. resol. 102.* & *Quart. p. 1. tit. 4. dub. 5.* ratio est, quia qualitas Missæ non cadit sub graui præcepto, etiam in Dominicis, & festis solemnibus, vt docet cum alijs *Pasqualig. loc. cit.* quod debet intelligi secluso scandalo, & contemptu.

36 Missæ votiue ex rationabili causa (sine qua esse peccatum veniale, docet cum alijs idem *Pasqualig. quæst. 237.*) possunt dici quocumque die, quando non est Dominica, vel Duplex, vel alia dies, in qua prohibetur fieri de Festo duplici ex Decret. S. R. *Congreg. 28. Augusti 1627.* videlicet 1. infra Octauas Epiphaniæ, Paschatis, & Pentecostes, 2. in Vigilijs Natiuitatis Domini, & Pentecostes, 3. fer. 4. Cinerum,

106 *Sacr. Enchir lib. 2. cap. Vnic.*
rum 5. & in tota maiori hebdomada.

37 In festis duplicibus, etiam non de præcepto (multo magis in prædictis diebus) non possunt celebrari Missæ de *Requiem*, etiam ad Altare privilegiatum, ut docet cum communi *Dian. par. 4. tract. 4. res. 233.* (licet *Pasqualig. quæst. 740.* contrarium asserat,) neque ad adimplendam voluntatem Testatorum ex nouo Decreto S. R. C. sub *Alexandro VII. Die 5. Augusti 1662.*

38 Possunt tamen ex rationabili causa cantari Missæ tam votiuæ, quàm de *Requiem*, quia supradictum Decretum prohibet solum Missas priuatas.

In Florentina Synodo *Anni 1645. tit. 1. cap. 8. §. 18. & 19.* huiusmodi Missæ cantatæ prohibentur solum in Festis de præcepto, & infra Octauas Pascatæ, & Pentecostes, & in die Octaua istarum duarum solemnitatum, & Epiphaniæ Domini; Missam verò pro Defunctis, quæ cantatur in die tertio, septimo, & trigésimo, & in Anniuersario cantari posse non solum in duplicibus, verum etiam in Ferijs, & infra Octauas privilegiatas, in quibus prohibetur fieri de Festo Duplici, docet cum alijs idem *Pasqualig. quæst. 284.*

39 Certum est Missam de *Requiem*, insepul-
to corpore, (& ex eodem *Pasqualig. quæst. 285.*
etiam si non sit præsens) cantari posse etiam in
Festis de præcepto. Excipit tamen *Gauant.*
par. 1. tit. 1. num. 2. Duplicia primæ Classis; Sed
supracit. *Pasqualig. quæst. loc. cit.* excipit so-
lum diem Natiuitatis Domini, & primam diem
Paschatæ, & Pentecostes; imò *quæst. 286.* con-
cedit etiam cantari posse fer. 5. in Cæna Domini

ante

ante M
te, siue
opinio
2. lit
quand
absque
non co
rem, q
quæ ca
dum et
docet,
Missan
uata de
243. a
re grau
nantiss

40
tur non
populi
Bauld.
ui) no
tentus
ma Qu
cum to
surrect
bus seq
tatis D
& Corp
Recogn
cantari
memor
idem B
dum et
Rubr. c
in Miss

ante Missam de die, & Sabbato Sancto, siue ante, siue post Missam de die, & citat pro hac sua opinione *Durand. & Gauant. par. 1. tit. 5. nu. 2. lit. X.* Sed *Gauant.* hoc non cedit solum, quando cadaver sine Missa sepeliri non potest absque scandalo, quod certè in nostra Diocesi non contingit; & idè eandem regulam assignarem, quæ assignatur infra *num. 40.* de Missa, quæ cantatur ad concursum populi. Et notandum est, quod *Pasqual.* in eadem *quest. 286.* docet, quod ubi non est commoditas cantandi Missam, potest prædictis diebus dici Missa priuata de *Requiem*, insepulto corpore, & *quest. 243.* affirmat Missam votiuam solemnem pro re graui cantari posse quocumque die, licet *Gauantus* excipiat solemnitates maiores.

40 Verum quidem est, Missam, quæ cantatur non pro re graui, sed ob solum concursum populi, vt fit in translatione festorum, (& ex *Bauld. p. 3. c. 7. tit. 6 pag. 219.* etiam pro re graui) non posse cantari 1. Dominica prima Aduentus, 2. Feria IV. Cinerum, 3. Dominica prima Quadragesimæ, 4. Dominica Palmarum cum tota maiori hebdomada, 5. Dominica Resurrectionis, 6. Dominica Pentecostes, & duobus sequentibus diebus vtriusque, 7. die Natiuitatis Domini, 8. Epiphaniæ, 9. Ascensionis, 10. & Corporis Christi vt habetur in *Rubr. Missal. Recogn. tit. 6 de transl. Fest.* Sed quando potest cantari, posse etiam in Missis priuatis fieri commemorationem Festi, quod transfertur, docet idem *Bauldr. loc. cit.* contrarium tamen tenendum est, cum *Quart. part. 1. tit. 6. dub. 2.* quia *Rubr.* quæ concedebat huiusmodi commemor. in Missis priuatis, in Missali recog. sublata est.

Quando cantatur huiusmodi Missæ, nulla in eis fit commemoratio: Et hoc est verum, etiamsi non possit cantari alia Missa concordans cum Officio; sufficit enim vt concordent cum Officio Missæ priuatæ: alioquin si in die, *verbi gratia* Dominicæ cantaretur Missa votiuua ad concursum populi, & in ea fieret commemoratio Dominicæ cum Euangelio in fine, non videretur Missa votiuua, sed Officij: & hæc confirmantur à regula vniuersali superius dicta, quod in Missis votiuuis semper dicitur Euangelium S. Ioannis in fine.

Sed vbi obligatio est cantandi Missam Conuentualem, cantantur duæ Missæ, Conuentualem post Tertiam, votiuua post Nonam; & vbi non potest cantari Missa, posse in similibus casibus dici Missam votiuuam priuatam docet *Pasquellig. quest. 244.*

Hæc, quæ de Missis solemnibus præter institutum dicta sunt, scire non erit inutile: redeamus ad Missas priuatas.

41 In Missa quotidiana pro Defunctis Oratio dici potest ad libitum, 3. semper Fidelium; *Casanou. de Miss. Defunct. nu. 7.*

42 Oratio pro Patre, & Matre dicitur solum pro Patre, & Matre Sacerdotis, & quando dicitur pro altero tantum, nominatur tamen vterque initio Orationis, deinde nominatur solus Defunctus idem *num. 8.*

43 Sequentia Defunctorum dicitur semper quando dicitur vna tantum Oratio, vt in die Obitus, Anniuersario, Exequijs, & quoties canitur Missa cum aliqua solemnitate, quo casu Missæ priuatæ debent sequi solemnem, nisi aliquid obstat. Quando verò dicuntur plures Oratio-

tionem
trium
Missæ

4
Missæ
ne ra
dem,
litate
partic
ciali
Requ
renter
quo c

45
giatu
ita co
restitu
dum
vbi et
diè,
celebr
no: Ga
vlt m
neri a
ra fat
rium p
dum
1. Ecc
Sec
quibu
ab obl
52. (c
polita
celebr
vno c

tio-

giones, Sequentia potest dici, & omitti ad arbitrium Sacerdotis, patet ex *Rubric.* Plura de Missis Defunctorum habebis infra *tit. 13.*

44 Missæ votiæ, & de *Requiem* satisfieri Missa corrente docent communiter DD. sed sine rationabili causa peccaretur (venialiter quidem, nisi inter fuisset iuramentum) contra fidelitatem: nam petens Missam fraudaretur illa particulari intercessione, & Defuncti illo speciali suffragio, quod eis prouenit ex Missa de *Requiem*; quam illis magis prodesse, quam currentem, etiam supposita intercessione Sancti, de quo celebratur, latè probat *Pasqual. qu. 287.*

45 Missam celebrandam ad Altare priuilegiatum, alibi celebrare est peccatum mortale; ita communiter DD. nullum tamen adesse onus restitutionis (nisi quid supra consumtum stipendium receptum sit) docet *Pasqualig. qu. 743.* ubi etiam excusat à mortali obligatum quotidie, vel pluries in hebdomada in dicto Altari celebrare, si alibi celebret paucis vicibus in anno: *Garz. tamen in sum. tract. 3. diffic. 11. dub. ult. nu. 11.* vult, celebrantem in alio Altari teneri ad aliquam compensationem per alia opera satisfactoria; sed *Pasqualig. loc. cit.* contrarium probat. Alij verò te obligant ad repetendum sacrificium, sic cum alijs docet *Fagund. 1. Eccles. præcept. lib. 3. cap. 9. nu. 7.*

Sed cum dentur talia Altaria priuilegiata, in quibus celebrando separari potest indulgentia ab obligatione Sacrificij, vt dicentur infra *nu. 52.* (quale est Altare priuilegiatum in Metropolitana Ecclesia Florentina) dicerem teneri celebrare, si sine magno incommodo posset in vno ex dictis Altaribus, & Sacrificij fructum

applicare illi, pro quo tenetur celebrare extra Altare priuilegiatum; indulgentiam verò applicare illi, pro quo in Altari priuilegiato celebrare omisit, & sic parue negotio vnicuique ius suum tribuitur.

46 Qui tenetur ex onere Capellanix celebrare in determinata Ecclesia, siue Altari; non potest sine mortali, absque licentia Episcopi alibi celebrare, nisi adsit iusta causa, vel legitimum impedimentum. Non peccaret tamen mortaliter, si per paucos dies alibi celebraret, & cum causa, neque venialiter. *Pasqualig. quest. 1139.* concedit pro paruitate materiae 20. dies in anno non continuatos, sed interpolatos.

47 Nullum quoque esset peccatum alibi celebrare, quando obligatio esset imposita non intuitu loci, sed solius Sacrificij, quod plerumque sequitur in stipendijs manualibus, & aduentitijs, quæ ad Sacristas deferri solent sine determinatione Altaris: quod posse etiam contingere in oneribus Capellanix, affirmant aliqui apud eundem *Pasqualig. loc. cit.* quod tamen non posse præsumi, quando locus determinatus est, idem bene ostendit.

48 Differre celebrationem Missarum, quæ debentur ex Iustitia, est peccatum mortale: ita DD. communiter. Datur tamen paruitas materiae, quam, si non fuerit tempus determinatum, docent aliqui esse integrum mensem, alij duos, alij denique tres menses, quas opiniones *Tambur. Meth. Miss. lib. 3. cap. 1. §. 9. num. 4.* vocat omnes probabiles, nisi ex alijs circumstantijs constet de intentione petentis.

49 Si verò tempus fuerit determinatū erit siue mortale, siue veniale iuxta qualitatem damni,

damni
applic
50
prom
non fo
esse m
cet ibi
nem, n
brand
onus s
& tene
promi

Imo
iurame
celebr
Sanct
plures
teret.
misisse
quo ca

51
celebra
promi
alibi si
nialite
bus fide

52
aliqua
cij, ita
alteri I
& *Qui*
p. 9. tra
in priu
ri liber
enim c

damni, quod ex dilatione temporis inferitur, cui applicandum est Sacrificium. Idem *loc. cit.*

50 Dixi ex *Iustitia*, nam Missas liberaliter promissas, etiamsi promissio fuerit acceptata, non solum differre, sed omninò omittere non esse mortale, secluso voto, aut iuramento, docet ibidem *num. 18.* Sed adde hanc limitationem, nisi ille, cui promittis, teneatur eas celebrandas curare ex iustitia, quia tunc cum ipsius onus subeas, contrahis obligationem *Iustitiæ*, & teneris sub mortali, aut eas celebrare, aut promissarium monere.

Imò vnam, aut alteram Missam, etiam cum iuramento (liberaliter tamen) promissam non celebrare, esse solum veniale docet ex doctrina *Sanch. ibid. num. 22.* quod verum puto, si quis plures promississet, & vnam, aut alteram omitteret. Sed si vnam tantum cum iuramento promississet, & sine causa non impleteret, non video, quo capite excusari possit à mortali.

51 Tanto magis qui accepto stipendio pro celebranda Missa in quocumque Altari, spontè promitteret, se celebraturum in privilegiato, & alibi sine causa celebraret, solum peccaret venialiter; ratio est, quia in his, & similibus casibus fidelitas solum offenditur, non iustitia.

52 Indulgentiam Altaris privilegiati esse aliquando separabilem ab applicatione Sacrificij, ita vt possit Sacerdos vni applicare fructum, alteri Indulgentiam, docent cum alijs *Suarez*, & *Quintanad.* quos refert, & sequitur *Dian. p. 9. tract. 2. resolut. 5.* quod contingit quando in privilegio dicitur, *Celebrans in tali Altari liberet vnam Animam à Purgatorio*, in hoc enim casu non requiritur applicatio Sacrificij

pro lucranda Indulgentia; & sic qui tenetur ex stipendio celebrare pro aliquo, non in Altari priuilegiato, potest in priuilegiato celebrare, & applicare fructum, cui tenetur ex Iustitia, & Indulgentiam, cui maluerit: ita docent etiam *Pasqualig. & Quart. punct. 1. tit. 5. dub. 11.* Quando verò dicitur in Priuilegio *liberet Animam, pro qua celebrauerit*, Indulgentia à fructu Sacrificij separari non potest: ita *DD. cit.*

53 Probabilius est solo Missa de *Requiem* acquiri Indulgentiam, & consequenter satisfieri obligationi celebrandi in Altari priuilegiato, nisi expressè concedatur à Pontifice priuilegium pro qualibet Missa; Ita *Quart. loc. cit. dub. 11.* & de hac re afferuntur à *Barbos.* apud eundem declarationes S. R. C. Aliqui tamen putant satisfieri qualibet Missa, nisi in priuilegio expressè requiratur Missa de *Requiem*. Videri possunt apud *DD. supra citatos*, præsertim apud *Dian. p. 9. tract. 2. resol. 8.*

54 Præceptum, quod imponitur ab Episcopo Presbiteratus ordinem suscipientibus, celebrandi tres Missas in tribus immediatè diebus post primam, debet intelligi saluis Rubricis Missalis: Non enim decet, vt in Fetto magna solemnitatis audiatur Missa votiuua de Spiritu Sancto, de B. M. & de *Requiem*, ita *Gauant. & alij* communiter.

55 Probabile quoque est tale præceptum non obligare ad applicationem Sacrificij, & colligitur ex ipsis verbis Episcopi, qui post tale onus impositum addit: *Et omnipotentem Deum etiam pro me orate*, vt in *Pontif. de ordinat. Presbyteri*. Quæ verba essent superflua, si ipsi applicandus esset fructus Sacrificij.

Quod

Quo
qua
men
Def
est, n
rum
nem
etiam
Doce
crif.
sic. 4
oneri
tera a
dum
betur
quate
offer
non e
tia, t
cui to
tione
nulla
alijs
56
Sacer
pro i
fratri
licet
tum r
gioni
modi
cet m
celebr
bet C
nem

Quod etiam concedit *Pasqualig. quest. 360.* quoad Missas Spiritus Sancti, & B. M. non tamen quoad illam pro Defunctis; & merito: pro Defunctis enim celebrate, inquit ille, nihil aliud est, nisi Sacrificij fructum ipsis applicare. Verum quidem est, quod etiam sequendo opinionem *Pasqualig.*, licebit accipere stipendium etiam pro Missa, quæ celebratur pro Defunctis. Docet enim cum alijs *Quart. in append. de Sacrif. quest. 2. punct. 20. & quest. 4. punct. 3. diff. 4.* posse vnico Sacro satisfieri multiplici oneri, quando vnum tantum est iustitiæ, & cætera aliarum virtutum, quod debet intelligi, dummodo applicetur absolute pro eo, cui debetur ex iustitia, alteri verò sub conditione, quatenus ipsi quoque prodesse possit; nam si offerretur absolute pro vtroque, & hæc opinio non esset vera, non satisfaceret obligationi iustitiæ, tribuendo partem applicationis Sacrificij, cui tota debetur; & hæc applicatio sub conditione potest fieri in omnibus Missis, nam sic nullam iniuriam danti stipendium facis, & alijs multum prodesse potes.

56. Ex dictis tamen inferri non potest, quod Sacerdotes alicui Centuriæ adscripti, possint pro ijs Missis, quas tenentur celebrare pro Confratribus Defunctis, stipendium sumere; quia licet talis obligatio, quatenus solum iuramentum respiceret, esset quidem obligatio, Religionis, non Iustitiæ; Nihilominus, quia huiusmodi iuramentum adhæret contractui, videlicet mutuae promissioni inter Sacerdotes initæ celebrandi tres; aut quinque Missas pro quolibet Confratre Defuncto, habet etiam obligationem Iustitiæ. Præterea in omni contractu ser-

uari debet æqualitas ; cum ergo talis promissis communiter intelligatur de celebrandis Missis sine receptione stipendij, qui secus faceret non seruaret æqualitatem, & cum simus in re graui, peccaret mortaliter, & semper remaneret cum onere satisfaciendi.

57 Insuper prædictæ obligationi satisfieri non potest applicando fructum specialissimum Sacrificij, scilicet eam partem, quæ ipsimet Sacerdoti contingit ; quamuis pro ea posse recipi nouum stipendium docuerunt multi etiam post *Decretum Urbani VIII.* quos refert nouissime *Amadaus Guimenius tract. de Sacrif. propo. 2. num. 2.* nam contra istam opinionem prodixit Sac. Congreg. declaratio die 25. Ianuar. 1659. quam SS. D. N. Alexander VII. approbavit, & Decretum publicari iussit die 29. eiusdem Mensis, vt videre est apud eundem *Guimen.*

Nec obstat, quod in tali Decreto prohibeatur solùm receptio stipendij pro applicatione talis fructus, non autem quin possit alteri pars Sacerdotis applicari; quia, præscindendo etiam à dicto Decreto, per applicationem fructus specialissimi non potest satisfieri obligationi iustitiæ: disputant enim DD. an sit applicabilis ; & ita obligationi certæ satisfieri non potest applicatione dubia: ita docet *Pasqual. quæst. 947.* & cum multis, idem *Guimen. loc. cit.*

58 Quod huiusmodi fructus non sit alteri applicabilis, docent *Suarez, Card. Delug. Fil. liuc. Bonac. & alij apud Quart. in append. de Sacrif. qu. 2. punct. 17.* imò aliqui docent apud eundem *loc. cit.* dictum fructum specialissimū non dari: & alij apud *Dian. p. 2. tract. 14. res. 14.* dicunt, fructum specialissimum trium Missarum

farum

farum
Ni
simè
disp.
supra
docet
pendi

Et
man
Alex
vt mi
impo
Summ
uata
poster
de his
tracta

Et
mora
rantia
cere
store
const
de de
termi
vide

59
tenetu
ducta
luntat
care, t
Signij
causa
Al
crecti

farum adæquare fructum medium vnius Missæ.

Nihilominus contrariam opinionem nouissimè tuetur cum alijs *Leand. p. 2. de Sacr. tr. 8. disp. 4 qu. 10.* Sed Decretum Alexandri VII. supracitatum fortasse non vidit, dum absolutè docet pro fructu specialissimo posse aliud stipendiū accipi; & ideò nullo modo sequendus.

Et quidem post hæc scripta, imò etiam typis mandata emanauit nouum *Decretum SS. D. N. Alexandri VII.* hanc opinionem, & alia plures vt minimum tanquam scandalosas damnantis imposita ex communicationis pena ipso facto Summo Pontifici pro tempore existenti reseruatæ omnibus, qui eas, vel earum singulas in posterum docuerint, defenderint, ediderint, aut de his etiam disputatiuè publicè, aut priuatim tractauerint, nisi forsan impugnando.

Et ne vnquam præfati Decreti omnibus timoratae conscientia viris desideratissimi ignorantia possit allegari, & ne quis de eo valeat dicere (sicut de cæteris passim legitur apud Doctores) non obligat, quia de eo authenticè non constat, placuit illud pro mei opusculi coronide de verbo ad verbum, ne apice quidem prætermisso ad omnium vtilitatem transcribere, vide infra in fine opusculi *num. 8.*

59 Hic addendum, quod Capellanus, qui tenetur quotidie celebrare, potest iam ex introducta consuetudine propter præsumptam voluntatem fundatoris semel in hebdomada vacare, non solum honestatis, vt colligitur *ex cap. Significatum, de præb.* sed etiam oblectationis causa, vt docent DD. præsertim recentiores.

Aliqui tamen hoc admittunt, quando in erectione Cappellani electa est persona, non

autem quando est electus locus. Sed *Tambur-
rin. Meth. Miss. lib. 3. cap. 3. §. 1. nu. 4.* idem ab-
solutè asserit, & meritò, siue electa sit persona,
siue locus; siue vtrumque. Consentit tamen
etiam ipse cum alijs, quòd quando in funda-
tione apposita est clausula, quòd Cappellanus
quotidiè celebret vel per se, vel per alium, vel
quòd celebrare faciat quotidiè, nullus vacatio-
nis dies infra hebdomadam conceditur, sed ad
summum talis Sacerdos singulis diebus obliga-
tus poterit quater, aut sexies in anno pro se,
suisque Sacrificium offerre.

Quando verò permissum vacationis diem
assumit, dicunt aliqui, quòd, si celebrare velit,
tenebitur sacrificium fundatori applicare, quia
dicunt, talem præsumi voluntatem illius. Sed
probabilius est, posse pro se, aut pro quocum-
que alio offerre: alioquin irrationabilis esset
fundatoris intentio, dum, quòd illi non obest, &
alijs prodesse potest; iniuste negaret.

Communis tamen, & vera opinio est, & pro-
contraria vix vnum *Vidal.* reperies apud
Dian. p. 10. tract. 14. res. 37. non licere pro
Missâ, quæ die vacationis dicitur, stipendium
sumere, nisi forte paupertatis causa excusaret,
vt benè aduertit *Loand. par. 2. tract. 8. disp. 5.
quest. 18.* & cum alijs *Dian. loc. cit.* Et præter
multas rationes, quas afferunt Doctores hæc
vna, quam apud alios non legi, me conuincit:
quòd si celebraret pro stipendio, duplex pro
vnica Missâ reciperet, illud manuale, alterum,
quòd singulis diebus correspondet ex redditu-
bus Cappellaniæ; & hoc expressè prohibi-
tum est ex *Declarat. Sacr. Congreg. Concil.*
anno 1625. annuente Urbano VIII. quam
reter.

refer
Et
nis si
rent
Miss.
cisco
à Cle
vnica
60
nentu
rochi
Re.
tentis
sess. 2
Cum
bis, q
suas
& ha
par. 2
nes se
No
nam e
diebu
quori
teneri
hebbe
minic
cepto
niorib
fert, &
babilis
alia co
potest
posse
na vic

referunt Doctores communiter.

Et quod non possit Capellanus die vacationis stipendium sumere, notatur etiam in Florentina Synodo anni 1663. tit. 4. de celebr. Miss. c. 2. sub Illustr. & Reuerendis. D. D. Francisco Nerlio Archiepiscopo meritissimo; nunc à Clem. IX. Pontifice, Cardinalis creatus in sua vnica promotione facta in mense Octob. 1669.

60 Sed quidem dicendum de Parochis? Tenentur ne Missam aliquando applicare pro Parochianis?

R. Teneri, & secundum probabiliorem sententiam ex Iure Diuino, vt habemus in *Trid. sess. 23 de reformat. cap. 1.* per hæc verba: *Cum præcepto Diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, omnes suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, &c.* & hæc opinionem refert, & sequitur *Leandr. par. 2. tract. 8. disp. 5. quest. 5.* vbi dicit sic omnes sentire.

Non conueniunt tamen Doctores quibusnam diebus tenentur. Dicunt teneri singulis diebus aliqui cum *Soto*: alij cum *Toledo* teneri quoties tenentur celebrare, alij cum *Bonaccin.* teneri saltem diebus Dominicis; vel semel in hebdomada: cum *Nunn.* alij præter dies Dominicos teneri etiam alijs diebus festis de præcepto: alij denique teneri solum diebus solemnioribus; & hæc opinionem pluribus citatis refert, & sequitur *Leandr. loc. cit.* tanquam probabiliorem, cum hac limitatione, nisi vigeat alia consuetudo legitimè introducta; & addi potest, vel constitutio Synodalis, quam ferre posse Episcopus etiam addita suspensionis pœna videbimus infra.

Ideò audiendus non est *Tamburin. Meth. Miss. lib. 1. cap. 2. §. 16.* vbi verba Concilij extorquens dicit, nunquam teneri: quid enim aliud significat, Sacrificium pro aliquo offerre, nisi eidem Sacrificij fructum applicare?

Quod autem dicit præceptum hoc esse inde terminatum, & ideò non obligare. Respondeo cum *Pasqualig. quest. 851.* licet non sit determinatum obligare tamen iuxta exigentiam, vt contingit in alijs præceptis. Et hoc certum est, nam etiam Præceptum Diuinum communicandi, nisi determinatum fuisset ab Ecclesia ad tempus Paschatis, & Viatici, quis auderet asserere, numquam obligare?

Dicit tamen idem *Pasqualig. loc. cit.* non posse assignari certam regulam obligationis; quia pro qualitate temporis, & loci esse potest maior, vel minor necessitas in populo; & concludit, Curatos Rurales teneri frequentius Sacrificium offerre pro suis ouibus, quia præsumuntur semper in maiori indigentia; tum quia rustici sunt continuò occupati in operibus ruralibus, ac proinde parum, aut nihil pietatis operibus vacant: tum quia vix diebus festis assistunt Sacro, rarò frequentant Sacramenta, & alia huiusmodi, quæ breuitatis gratia omitto; nam videri possunt apud eundem *loc. cit.* vbi *nu. 7.* refert quatuor Decreta Sac. Congr. Con. ita 22. Augusti 1612. & in Hydruntina 12. Februarij 1639. & Ciuitatis Castellanae 8. Augusti 1648. & in Romana S. Susannae 17. Iulij 1649. in quibus firmatum est, Parochum teneri diebus Dominicis, & alijs Festis Sacrificium pro ouibus applicare, & ad id posse etiam per censuras compelli, nec eleemosynas pro ijs Missis lice-

re recipere. Quæ Decreta cum sint pro locis particularibus, quamuis non obligent in vniuersali, nostram tamen sententiam validè confirmant, & contrariam eneruant.

His prænotatis Rubricarum explicationem DEI nomine inuocato vix tandè aggrediamur.

In qua vt plurimum omittentur ea, quæ spectant ad Missam solemnem, & quæ sunt pro Prælati, de quibus infra *Titulo XIV.*

TITVLVS I.

De preparatione Sacerdotis celebraturi.

Rubrica I.

Sacerdos celebraturus Missam præuia 1 Confessione Sacramentali, quando opus est, & saltem Matutino cum Laudibus absoluto, orationi aliquantulum vacet, & 2 Orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat. Deinde accedit ad locum in Sacristia, vel alibi preparatum, ubi paramenta, aliaque necessaria ad celebrationem habentur: accipit 3 Missale, perquirat Missam, perlegit, & signacula ordinat ad ea, quæ dicturus est. Postea lauat manus dicens Orationem inferius positam. Deinde preparat 4 Calicem (qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratã, & simul cum Patena itidem inaurata, ab Episcopo consecratus) super eius os ponit. Purificatoriũ mundũ, & super illud Patenam cum Hostia 5 integra, quã leuiter extergit, si opus est, à fragmētis, & eã regit parua 6 Palla lineã, tum Velo serico, super Velo ponit 7 Bursã coloris Paramentorũ
intus

intus habentem 8. *Corporale plicatum*, quod ex lino tantum esse debet; nec serico, vel auro in medio intextum, sed totum album, & ab Episcopo, vel alio habente facultatem simul cum Palla benedictum.

Nota.

I. **D**Ecet ut confiteatur antequam sacris vestibus induatur, ita docet cum *Murilio*, & *Gauanto Quarto par. 2. tit. 1. pag. 197.*

2. *Orationis*, videlicet Antiphonam, *Ne reminiscaris*, cum Psalmis, Precibus, & Orationibus, ut Missali: quæ Antiphona integra dicitur in Duplicibus, & ante Missam, quæ celebratur ritu duplici, hoc est cum vnica Oratione siue sit votiuæ pro re graui, siue pro Defunctis; *Gauant. par. 2. tit. 1. nu. 1. lit. C.* & tempore Paschali additur in fine *Alleluia*. Quæ omnia possunt omitti, quando celebranda est Missa de *Requiem*: at si dicantur, debet in fine Psalmorum dici *Gloria Patri*, & tempore Paschali addi Antiphonæ *Alleluia*: Sicuti etiam dici debet *Gloria Patri* tempore Passionis, excepto vltimo triduo: ratio horum est, quia huiusmodi Preces Officium, non Missam sequuntur, *Baul. de prepar. Sacerd. tit. 1. pag. 229.*

An, & quale peccatum sit dictas Preces omittere (sicuti eas, dum se Sacerdos sacris vestibus induit, dictum est *lib. 1. cap. 1. §. 7.*

3. Missam omninò perquirat in Sacrificiæ; ipsamque prælegat, tum vt Indulgentias à Summis Pontificibus concessas lucretur, tum vt ne adstantes tædio Missam ad Altare quærendo, & scandalo eam malè lectirando afficiat:

plura,

plura monet *Quart. loc. cit.*

4 Obserua, quod prius inuenienda est Missa, postea manus lauandæ, deinde Calix accommodandus, super quem neque manutergium, neque conspicienda ponenda sunt, *Bauldr. tit. 2. n. 1. pag. 232.* saltem velo quod plicatur super Calicem ab anteriori parte, tegantur.

Lotionem manuum ante Missam omittere esse solum peccatum veniale, nisi sint notabiliter sordide docet cum communi *Quart. par. 2. tit. 1. sect. 1. dub. 5.* post Missam nullum esse peccatum docet *Dian part. 10. tract. 12. resol. 19.* Et *Leandr de Sacr. par. 2. tract. 7. disput. 6. quest. 8.* cum alijs dicit esse veniale etiam ad Eucharistiam accedere non abluta facie, quod etiam sentit, *Dian. loc. cit.*

Quod verum puto, si sordes vultus aliquantulum apparerent, & quandam indecentiam præferrent, quod si apparerent notabiliter, & magnam ostenderent irreuerentiam, eodem modo ratioeinandum est, quo de manibus notabiliter sordidis. Secus si nullo pacto apparerent, tunc enim cum nullam indicent irreuerentiam, nullum peccatum esse existimo. Vnde resoluendum puto, laicos accedentes ad Eucharistiam illotis manibus, & facie, ne venialiter quidem peccare: non illota facie (semper tamen dixi) si sordes non appareant, quia quoad hoc non differunt à Sacerdotibus, non illotis manibus, quia nihil sacrum contrectare debent, & in hoc differunt à Sacerdotibus, & ideo peccant Sacerdotes laici verò non peccant.

Nihilominus, quia ob reuerentiam tanto Sacramento debitam, mundities etiam corporis, quantum fieri potest, procuranda est.

5 Si Hostia fit adeò fracta, vt timeri possit scandalum Populi, non est cum ipsa celebrandum, & si alia haberi non possit, Populus admonendus; licere tamen aliquando celebrare cum Hostia minori, vulgo Particula, quando maior haberi non potest, docet cum *Marchant. & Dian. Tambur. Meth. Miss. lib. 2. cap. 8. nu. 16.* nec aliam causam requiri, præter deuotionem celebrandi, & Missam non omittendi.

Quod si aduertatur ad Altare ante Oblationem, debet alia accipi, si citra scandalum, vel longam moram haberi possit; post Oblationem debet talis, qualis est, consecrari, nisi fractura euidenter populo appareat; nam tunc ad vitandum scandalum deberet alia accipi, & mente offerri, & illa primo loco oblata seruari, & post summptionem purificationis sumi; & quod dicitur de Hostia fracta, idem seruandum de notabiliter maculata. Sed si frangatur post Consecrationem, tunc parte maiori ipsius fiant omnia eodem modo, ac si esset integra. Idem dicendum si caderet in Calicem, & tota non madefieret; quod si tota madefiat (quod vix potest contingere) recitantur omnia consueta omiſſis signis, & cæteris ritibus ad ipsam spectantibus; denique simul cum sanguine sumitur, dicendo, *Corpus, & Sanguis Domini nostri &c.* Ita Doctores communiter, & videri potest *Pasqualig. quaest. 306. & seqq.*

6 Clerici Regulares habent vsum duplicis Pallæ, vnius ad cooperiendum Calicem, alterius, super qua tenent Hostiam ante, & post consecrationem vsque ad vsum Patenæ, & hoc vt facilius colligantur fragmenta: quem vsum legitimè introductum, & approbatum à Summo

no
qua
tra
run
8. pu
omn
nou
terp
mun
popu
7
pars
1. pa
pora
cis d
8
nec f
quen

Q
sciss
pulc
cult
pedi
bus,
attri
supra
vel a
comm
veste
Orat

mo Pontifice defendit contra nonnullos *Pasqualig. quest. 792. & quest. sequenti* docet contra *Quart.* quemlibet Sacerdotem posse in eorum Ecclesijs duabus Pallis uti, & *ibidem* *no. 8.* putat probabile, duplicis Pallae usum licere omnibus, & ubique; quia hic non est, inquit ille, nouus ritus contra constitutionem Pij V. sed interpretatiua obseruantia prioris: sed hoc vltimum non admitterem, saltem propter grauem populi admirationem.

7 Bursa ita super Calicem aptetur, vt eius pars aperta respiciat celebrantem, *Bauldr. tit. 1. pag. 229.* intra quam omninò includatur Corporale, quod extra Bursam deferre sine Pontificis dispensatione (si *Gassanto* credis) non licet.

8 Corporale debet ita plicari, vt nec initium nec finis appareat. *Alcuin. cap. 2. de celebr.* quem refert *Gassant. p. 2. tit. 1. lit. P.*

Rubrica II.

Quibus ita dispositis accedit ad 1 paramenta, quae non debent esse lacera, aut scissa, sed integra, & decenter munda, ac pulchra, & ab Episcopo item, vel ab alio facultatem habente benedicta, ubi 2 calceatus pedibus, & indutus vestibus sibi conuenientibus, quarum exterior saltem 3 talum pedis attingat, 4 induit se, si sit Pralatus secularis supra Rocchetum, si sit Pralatus Regularis, vel alius Sacerdos supra 5 Superpelliceum, si commodè haberi possit, alioquin sine eo, supra vestes communes, dicens ad singula singulas 6 Orationes inferius positas.

Nota.

3. **D**E benedictione Sacerdotalium induramentorum, eorundem coloribus, & necessitate, dictum est *lib. 1. cap. 3. §. 6. & seqq.*

2. Laudantur Ecclesiae, in quibus asseruantur honeste crepidae; ne Sacerdotes ad Altare cum calceis lutulentis accedant, *Bauldr. loc. cit. pag. 230.*

Nudis pedibus celebrare, licet aliqui putent esse mortale, probabilius tamen est nullum esse peccatum; ut probant *Marchin. tract. 3. par. 3. cap. 14. num. 3. pag. 449 & Tambur. Meth. Miss. lib. 1. cap. 7. §. 3.* & alij, praesertim si fieret ad humilitatem, & reuerentiam.

3. Praeter Vestem talarem omnino debet Sacerdos habere Tonfuram, quam per notabile tempus non deferre, esse peccatum mortale docent plurimi DD. apud *Quart. loc. infra cit.* qui concedunt pro paruitate materiae esse solum veniale, si per quinque, aut sex dies non deferatur; quam obligationem extendi etiam ad Clericos in minoribus constitutos, deducunt ex *Trid. sess. 14 c. 6. de reform.* Sed probabilius est afficere solum Sacris ordinibus initiatos, ut qui statum assumunt Ecclesiasticum immutabiliter, ut docet cum alijs *Dian. p. 5. tract. 5. resol. 60.*

Certum quidem est, quod etiam inhaerendo opinioni benigniori, licet minus probabili, quam docent aliqui apud eundem *Quart. part. 3. tit. 6. sect. 1. duob. 1.* excusantes à mortalietiam in Sacris constitutos, peccatum veniale non effugitur, & quando adesset scandalum, vel contemptus, esse mortale, omnes vltro fatentur.

Quan-

Q
ra. R
rum
vulg
ram
Tole
no V
sequ
com
A
dam
1667
qual
sine
sit ad
quod
loqu
cum
4
uet a
Altar
pag.
quod
5
illud
quan
quod
tit. 4
do ill
nemi
spicia
6
voce
etiam
respe

Quanta verò debeat esse huiusmodi Tonsura. Respondeo, Tonsura, seu Corona Clericorum debet esse ad mensuram minoris Hostiæ, vulgo Particulæ; Sacerdotum verò ad mensuram Hostiæ maioris: ita habetur in *Concilio Tolet. IV. & in Concilio Palentin. sub Urbano VI. & docet Castald. lib. 2. sect. 1. c. 8. quem sequuntur Gauant. & Quart. loc. cit. & alij communiter.*

At nouissimè SS. D. N. Clemens IX in quodam edicto publicato Romæ, die 30. Iunii, 1667. sanxit sub pœna decem aureorum pro qualibet vice, ne quis accedat ad celebrandum sine corona, aut tonsura clericali, quæ ad minus sit ad formam nummi argentei, vulgo Testone, quod edictum in calce operis apponetur, in eo loquitur etiam de ijs, qui accedunt ad Altare cum coma.

4 Detecto capite Sacerdos se induit: obseruet autem, quod nunquam biretum ponat super Altare, nec super Missale; ex *Bauldr. loc. cit. pag. 230. num. 1.* multo magis supra Calicem, quod minus decenter aliqui faciunt.

5 Saltem qui Superpelliceo est iam indutus, illud, vt fieri solet, non exuat. Et hinc colligitur quantò magis errent ij, qui collare deponunt; quod etiam reprobatum in *Synodo Anni 1645. tit. 4. cap. 24. § 23.* vbi habetur, quod si quando illud deponere contigerit, ita cautè fiat, vt à nemine Sacerdos celebraturus sine collaris conspicitur.

6 Orationes dicuntur ad singula paramenta voce omninò submissa; *Bauldr. loc. cit.* quas etiam dicendas esse à Diacono, & Subdiacono respectiuè dum se induunt, docet *Bonam. par. 1.*

obser. 2. nu. 13. sed tam Sacerdos, quam alij dicunt solum dum se induunt in ordine ad Missam.

Quas orationes omittere, an, & quale peccatum sit, dictum est lib. 1. cap. 1. §. 7.

7 Si debeat Sacerdos ex aliqua causa induere se ad Altare, paramenta sumat in cornu Euangelij, non in medio, quod conceditur solum Episcopis, & Cardinalibus: *Gauant. part. 2. tit. 2. nu. 2.*

Rubrica III.

AC primum accipiens 1 Amictum circa extremitates, & chordulas osculatur illum in medio, ubi est Crux, & ponit super caput, & mox declinat ad collum, & eo vestium collaria circumtegens ducit chordulas sub brachijs, & circumducens per dorsum ante pectus reducit, & ligat. Tum Alba induitur, caput submittens, 2 deinde manicham dextram brachio dextro; & sinistram sinistro imponens, Albam ipsam corpori adaptat, eleuat ante, & à lateribus hinc inde, & Cingulo per Ministerium à tergo sibi porrecto 3 se cingit Minister eleuat Albam super Cingulum circum circa, ut honestè dependeat, & tegat vestes, ac eius simbrias diligenter aptat, ut ad latitudinem digiti, vel circiter super terram equaliter fluat. Sacerdos accipit 4 Manipulum, osculatur Crucem in medio, & imponit brachio sinistro. Deinde ambabus manibus accipiens 5 Stolam simili modo deosculatur, & imponit medium eius collo, ac transuersando eam ante pectus in modum Crucis ducit partem à sinistro humero pendentem ad dex-

iram, & partem à dextero humero penderem ad sinistram, sicque utramque partem Stola extremitatibus Cinguli hinc inde ipsi Cingulo coniūgit; postremo accipit 6 Planetā.

Nota.

1 **O**Mittendum est signum Crucis, quod præter Rubricam sibi faciunt quidam manu, & cingulo Amictus; Signent se antequam Amictū accipiāt, si velint, *Bauld. loc. ci. pag. 231.*

2 Obserua, quod prius manicha dextra brachio dextro imponenda est, quam sinistra sinistro, patet ex *Rubric.*

3 Quando Cingulum adhibetur duplicatum, extremitates ipsius accipiantur à latere dextro, *Bonamic. obser. 2. num. 4.*

4 Manipulus ligari debet chordulis, aut firmari aciculis infra cubitum, non longè à manu; *Gauant. p. 2. tit. 1. rub. 3. litt. L.*

5 Stolam sibi imponit non longè à collo, ac si torquem imponeret sibi; *Bauldr. loc. cit.* ita tamen, vt à Planeta, quæ super imponenda est, tegatur; *Bonamic. p. 1. obseru. 2. nu. 6. Puccinel. pag. 161.* & pars dextræ Stolæ debet superponi sinistrae ex *Rubrica supradiçta.*

6 Planeta debet firmari ante pectus vinculis ex ea ab anteriori parte intus pendentibus.

Ex ipsa *Rubrica* patet, quod Amictum, Manipulum, & Stolam tantummodo osculari debet Sacerdos, non alias vestes, vt aliqui faciunt; quæ osculatur etiam quando dicturus est *Misam de Requiem*, *Bauldr. tit. 13. p. 269.*

Sacerdos potest quidem sacra indumenta de manu ministri recipere; sed Amictum Manipu-

nipulum, & Stolum ipse sibi imponat, nisi sit Prælati: Reliqua potest permittere, vt sibi imponantur à ministro, *Bonam. obseru. 2. n. 11.* Et quando ei Albam imponit, debet manibus iunctis caput submittere, *Arnaud p. 2. tit. 1. n. 26.*
Rubrica IV. & V. spectant ad Prelatos.

TITVLVS II.

De ingressu Sacerdotis ad Altare.

Rubrica I.

Sacerdos omnib. paramentis indutus 1. accipit manu sinistra Calicem, vt supra præparatum, quem portat eleuatum ante pectus. Bursam manu dextra super Calicem tenens & facta 3 reuerentia Cruci, vel Imagini illi, qua in Sacristia erit, capite cooperto accedit ad Altare 4 Ministro cum Missali, & alijs celebrandum necessarijs (nisi ante fuerint præparata) precedente Superpelliceo induto. Precedit autem oculis demissis, incesso graui, erecto corpore. 5 Si verò contigerit eum transire ante Altare maius, capite cooperto facit ad illud reuerentiam, si ante locum Sacramenti genuflectat si ante Altare, vbi celebretur Missa in qua eleuatur, vel tunc ministratur Sacramentum, similiter genuflectat, & 6 detecto capite illud adoret, nec ante surgat, quam celebrans deposuerit calicem super Corporale.

Nota.

- 1 Antequam Calicem accipiat, decet vt alios Sacerdotes operto capite salutes, &

& idem faciat post Missam, Calice prius de-
posito.

2 Teneat manum dexteram extensam supra
Bursam; *Bonac. p. 2. nu. 4.*

3 Hæc reuerentia facienda est profundè,
cum corpore scilicet inclinato; *Bauldr. cit.
2. pag. 232. nu. 1.*

4 De necessitate Ministri dictum est *lib. 1.
cap. 1. §. 9.*

5 Quando Sacerdos defert Calicem tum re-
uerentias, tum genuflexiones facit recto capite;
secus quando non defert Calicem, tunc enim
semper detecto capite, & reuerentiam facit, &
genuflectit.

6 Similiter detecto capite genuflectit, etiam-
si habeat Calicem, quando transit ante SS. Sa-
cramentum expositum, vt post Consecrationem
alicuius Missæ, vel quando eleuatur, vel mini-
stratur: Sed in hoc casu caput non detegat, nisi
prius genuflexus, & illud tegat antequam sur-
gat; *Bauldr. loc. cit. pag. 233. nu. 3.*

Huiusmodi genuflexio fit vnico genu: quan-
do verò eleuatur Sacramentum fit vtroque ge-
nu vsque ad depositionem Calicis, & tunc de-
cet vt tradat Biretum seruandum Ministro re-
cepturus illud post eleuationem antequam sur-
gat: *Bauldr. loc. cit. num. 4.* Si non tradat Mi-
nistro, nullo modo ponat super Calicem, sed
teneat manu dextra demissa, & parte Bireti
aperta respiciente ipsum Sacerdotem, *Bonam.
p. 1. obs. 3. nu. 2.* Idem seruet, si per Ecclesiam
fiat ei obuius deferens SS. Sacramentum *Quart.
p. 2. tit. 2.*

Quando ante Sacramentum expositum, ge-
nuflectit, caput quoque genuflexus inclinatur,
& pater

patet ex eadem Rubrica, & docet in simili *Bauldr. p. 3 cap. 17 pag. 346. nu. 21.* & postquam surrexit non faciat aliam genuflexionem, nisi transiturus si ante medium Altaris.

Caput quoque profundè inclinatur ante Reliquiam insignem solemniter expositam, de qua eo die fit festum; aut quia in magno honore est apud populum, ex *Bauldr. tit. 2. pag. 233. num. 3.* & quidem capite operto, ex *Gauant. p. 2 tit. 2. lit. E.* si verò sit in eodem Altari, in quo est Sacramentum in Tabernaculo inclusum, sufficit recto capite genuflectere, nunquam enim post genuflexionem alia reuerentia facienda est, ut alibi dicitur.

Sacerdos cum defert Calicem, neminem salutatur operto capite, sed tantum Prælati, & Magnatibus se inclinatur. Idem facit cum transit per medium Chori, ubi adest Clerus vel ante illum, *Bauldr. loc. cit.* item si obuium habeat aliam Sacerdotem redeuntem ab Altari, sequens viam suam à latere suo dextro, cum capitis inclinatione salutatur, patet ex eodem *tit. 12. pag. 269.*

Rubrica II.

Cum peruenerit ad Altare stans ante infimum gradum, caput detegit, 1 biretum Ministro porrigit, & Altari seu Imagini Crucifixi desuper posita profundè se inclinatur. Si autem in eo sit Tabernaculum SS. Sacramenti 2 genuflectens debitam facit reuerentiam, tunc ascendit ad medium Altaris, ibique ad cornu Euāgelij sistit Calicem, extrahit 3 Corporale de Bursa, quod extendit in medio Altaris, & super illud 4 Calicem Velo coopertum

col-

collo
si pa
cit a
incl1 F
tum
angu
1. obf
auren2
dum
SS. Sa
H
Rubr
quoq
ctens
sola g
Sakra3
ponat
cerdo
oram
cratio
teneat4
saltem
Idem5
cande
parte
dum

collocat: 5 Bursam autem ad cornu Euangelij si paramenta in Altari accepit, hoc idem facit antequam descendat ad Altari, vt Missam inchoet.

Nota.

1 Prius Biretum Ministro porrigit, deinde reuerentiam facit: & obserua, quod biretum capiendum est digitis indice, & medio, per angulum medium eleuatum; ita ex *Bonamic. p. 1. obs. 3.* ita vt angulus depressus veniat super aurem sinistram.

2 Genuflectit vnico genu super infimū gradum Altaris, *Bauld. loc. cit. pag. 234.* nisi adsit SS. Sacramentum expositū, vt suo loco dicitur.

Hic aduerte, quod male deducunt aliqui ex *Rubrica*, post genuflexionem faciendam esse quoque reuerentiam; nam vbi dicit, genuflectens facit debitam reuerentiam, intelligit de sola genuflexione, quæ est reuerentia debita Sacramento.

3 Si sit Crux acu picta in ore Corporalis ponatur ad anteriorem partem Altaris, vt Sacerdos illam osculetur, & ora ipsius Corporalis oram Altaris tangat, vt Sacerdos facta consecratione manus intra Corporale commodius teneat, *Bauldr. loc. cit.*

4 Calix vndeque velo contegi debet, aut saltem pars anterior, si velum sit nimis breue. *Idem loc. cit.*

5 Bursa ponitur inter candelabra (non ad candelabrum, ne liquecente cera deturpetur) parte eius aperta respiciente medium Altaris, dummodo Imagines in ea fortasse depictæ ca-

pite inuerso non ponantur ; ponitur autem manu sinistra ; dum dextra deponitur Corporale super Altare: Quod vt facilius fiat, sumitur non à lateribus, sed ab eius parte inferiori .

Rubrica III.

SI est consecraturus plures ¹ Hostias pro Communionē faciendā, quā ob quantitatem super Patenam manere non possint, locat eas super Corporale ante Calicem; aut in aliquo Calice, vel ² vase mundo consecrato, ponit eas retro post Calicem, quod alia Patena, seu Palla cooperit .

Nota .

- ¹ **P**ER Hostias intelliguntur Particulæ pro Communionē fidelium; *Bauldr. loc. cit.*
² De benedictione Pixidis dictum est *lib. 1. c. 3 §. 6. num. 9.*

Rubrica IV.

Collocato Calice in Altari ¹ accedit ad cornu Epistola ; Missale super Cussino ² aperit, reperit Missam, & signacula suis locis accommodat . Deinde rediens ad medium ³ Altaris, facta prius Cruci reuerentia, vertens se ad cornu Epistola ⁴ descendit post infimum gradum ⁵ Altaris, vt ibidem faciat Confessionem .



Nota .

Nota.

1 **F**Acta prius Cruci profunda reuerentia, & nunc, & antequam descendat post apertum Missale ex *Gauant par. 2. tit. 2. n. 4.* quicquid dicat *Quar par. 2. tit. 13. dub. 4. pag. 397.* qui vult primam reuerentiam omninò omitti.

2 Ipse Sacerdos aperit Librum, non Minister, & adest Mysterium; *Gauant. loc. cit.*

Missale super Altare tam apertum, quam clausum ita tenetur, vt pars inferior Altare tangat, superior puluino adhæreat, & quando est clausum, ea pars, quæ aperitur sit versus medium Altaris; *Bauldr. par. 1. cap. 6. pag. 109. num. 17.* sed quando legitur vltimum Euangelium, non clauditur versus medium Altaris; nam semper clauditur versus cornu Euangelij, vt suo loco dicitur.

3 Reuersus ad medium Altaris non debet ibi immorari orationis causa, sed statim facta reuerentia descendat in planum, vt Missam incipiat, *Bauldr. par. 3. tit. 2. pag. 235.*

4 Descendendo retrahit se aliquantulum ad cornu Euangelij, ne directè terga vertat Cruci, & vertit se eodem modo, quo infra ad *Dominus vobiscum.* Idem *loc. cit.*

5 Si ad Altare sint plures gradus, quantos tres, tunc non ad omnes, sed ad primum ordinem, graduum descendit, si per ordines distincti sint, vel super secundum, aut tertium gradum se sistit. Quod si nullus sit gradus, tunc per aliquot passus ab Altari remotus facit Confessionem, ita vt iuter ipsum, & Altare congrua sit distantia. *Ibid. num. 3.*

Rubrica V. & VI. omittuntur, quia sunt de
Missa solemni.

TITVLVS III.

De Principio Misse, & Confessione
facienda.

Rubrica I.

Sacerdos cum primum descenderit ad infimum gradum Altaris, conuertit se ad ipsum Altare, ubi stans in medio, iunctis manibus 1 ante pectus, extensis, & iunctis pariter digitis, & pollice dextro super sinistram posito in modum Crucis (quod semper seruetur, quandocumque iunguntur manus, praterquam post Consecrationem) 2 detecto capite, facta prius Cruci, vel Altari profunda reuerentia, vel si in eo sit Tabernaculum SS. Sacramenti 3 facta genuflexione, erectus incipit Missam.

Nota.

1 **Q**uando tenentur manus iunctae ante pectus, Planetam non tangunt, *Bauld. tit. 3. pag. 237.* & digitorum extremitates neque terram, neque faciem directè respiciant, sed sint per gestum naturalem mediocriter elatae, ex *Bonamic p. 1. obseru. II. nu. 2.*

2 Quando liceat uti pileolo in Missa dictum est *lib. I. cap. I. §. 10. sect. 1.*

3 Aliqui genuflectunt SS. Sacramento, & postea erecti Cruci se inclinant, sed hoc superfluum

Tit. 3. De princ. Missa, & Conf. fac. 135
Fluum est, cum sufficiat sola genuflexio: *Bauld.*
loc. cit. pag. 236.

Rubrica II. & III. sunt de Missa coram
Pralatis.

Rubrica IV.

STans igitur Celebrans ante infimum gra-
dum Altaris, ut supra, producens manu
dextra à fronte ad pectus signum Crucis, di-
cit *1* intelligibili voce: In nomine Patris, &
Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Et postquam id
dixerit *2* non debet aduertere quemcumque
in alio Altari celebrantem, etiamsi Sacra-
mentum eleuet, sed continuatè proseguat Mis-
sam suam vsque ad finem.

Note,

1 **Q**uomodo legenda sit Missa, dictum est
supra in principio huius libri, dum
explicabatur dictio *Alte*: alia dicentur *lib. 3.*
cap. 1. §. 7. et 8.

2 Si tamen facta debita reuerentia, sed non-
dum inchoato, *In nomine Patris*, eleuetur *SS.*
Sacramentum in Altari vicino, tunc genibus
flexis illud adoret, nec surgat nisi post deposi-
tum Calicem; *Bauldr. loc. cit.* si verò eleuetur
quando ad Altare accommodat Calicem, vel
reperit Missam, perficiat quæ facienda sunt,
& postea descendens genuflectat, si tempus
suppetat.

Debet autem genuflectere non in plana ter-
ra, sed super infimum gradum; *Bauldr. tit. 2.*
pag. 234.

Hic obiter nota, quod dum recitantur in Choro Diuina Officia, si eleuetur SS. Sacramentum non solum in Altari vicino, sed etiam in eodem Altari Chori (vbi tamen tunc temporis omnino celebrandum non est) ab ijs, qui in Choro sunt non esse genuflectendum euidenter demonstrat *Caramuel. in suo Regulari Theolog. disp. 130. cas. 2. num. 1632. seq.* & rationem adducit fortissimam; inquit enim ceteris paribus actus communitatis non debet interrumpi per actum priuatum: atqui genuflectere ad eleuationem Missæ priuatæ, plurimum singularium esset Latria, quæ datur Deo ipsi, verò Canonicum Officium est actus Latriæ, quo totus Chorus per modum communitatis Deum prosequitur; ergo Latria publica, & communis non debet interrumpi propter detractionem priuatam.

Nihilominus opinio hæc *Caramuelis* in praxi seruari non potest, saltē propter scandalum indoctorum, vt ipse quoque aduertit, & aliam potissimam rationem afferam infra tit. 14. num. 12.

Sequenda igitur est opinio *Bauldr.* qui p. 2. c. 3. pag. 129. num. 10. dicit omnibus in Choro genuflectendum, quoties eleuatur, ostenditur, & circumfertur SS. Sacramentum (excipit tamen eos, qui essent in cantu valdè impediti,) & p. 3. cap. 11. art. 4. pag. 287. num. 22. loquens de Celebrante sedente cum Ministris ad *Gloria*, & *Credo*, dicit, ipsos quoque debere genuflectere, dummodo Altare, in quo eleuatur, sit proximum, & in conspectu ipsius Celebrantis, vbi tamen fatetur, consultius esse, si Minister campanulam non pulset; nam tunc qui in Choro sunt,

Tit. 3. De princ. Missæ, & Conf. fac. 137
non habent occasionem attendendi, quid extra
Chorum fiat.

Sed ipse quoque *Bauldr. par. 3. tit. 13. pag. 270.* dicit, Sacerdotem cum Ministris non debere genuflectere, si eleuetur SS. Sacramentum, dum fit Absolutio post Missam Defunctorum, & rationem disparitatis addit *pag. 287 num. 22.* scilicet quia dum sedent ad *Gloria*, & *Credo*, non sunt impediti, sicut in presenti casu, & sacra actio non debet interrumpi.

Contrarium tamen docet *Quart. part. 2. tit. 13. dub. 3.* docens debere genuflectere, vel ipsum Sacerdotem, etiam si actu aspergat, vel incenset Tumulum; ratio ipsius est, quia obligatio continuandi hanc functionem inferioris ordinis est, quam adorandi SS. Sacramentum.

Neutra opinio absolutè placet; videtur enim & ipsi Sacerdoti genuflectendum esse cum Ministris, nisi actu aspergat, vel incenset Tumulum, & nisi dicat *Versus*, & *Orationem*, & hoc vltimum concedit etiam *Quart. loc. cit.* rectiùs tamen fieret, vt monet idem *Bauldr. loc. cit.* si in ea eleuatione non pulsaretur Campanula, nam tunc nullus deberet genuflectere.

Conueniunt tamen omnes cum *Caramuel.* quod Crucifer nunquam debet genuflectere, ne quidem SS. Sacramento, ratio *Caramuelis* est *loc. cit. num. 1630.* quia regium Labarum nulli subdito Signifer subijcit, imò nec ipsi Regi, & addit, Deo Crucem supponere, idololatriæ, aut Arianicæ ceremoniæ est.

Quod *Bauldr. par. 2. cap. 16. pag. 185. num. 15.* extendit etiam ad Ceroferarios, & ad Sacerdotem, qui in fine Processionis defert Cru-

cem, & libenter addo, vel aliquam Sanctorum Reliquiam.

Alij tamen transeuntes ante Altare SS. Sacramenti, vel ante aliud, vbi eleuatum sit, vel tunc eleuetur, debent etiam in Processione genuflectere, quicquid dicat *Caramuel. loc. cit.* & contrarium vsu esse verè abusum declarauit Sac. Rit. Congr. referente *Cassald. lib. 2. sect. 1. cap. 4. num. 2.* & in Pacensi 14. Decemb. 1602. teste *Bauld. par. 2. cap. 3. pag. 129. n. 10.* Solùm exciperem Processionem SS. Sacramenti, cum omnes, qui Sacramentum comitantur actualem Patriæ cultum eidem exhibeant.

Rubrica V.

CVM seipsum χ signat, semper sinistram ponit infra pectus: in alijs benedictionibus cum est ad Altare, & benedicit oblata, vel aliud, ponit eam super Altare, nisi aliter notetur: seipsum benedicens vertit ad se palmam manus dextra, & omnibus illius digitis iunctis, & extensis à fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dextrum signum Crucis format. Si verò alios, vel rem aliquam benedicit, digitum paruum vertit ei, cui benedicit, & benedicendo, totam manum dexteram extendit, omnibus illius digitis pariter iunctis, et extensis, quod in omni benedictione seruatur.

Nota.

χ Caput non inclinet, dum se signat, sed erectum habeat, & manus sinistra sit extra Crucis terminum, idest quasi supra

Tit. 3. De princ. Missa, & Conf. fac. 139
Cingulum; *Bauldr. tit. 3. pag. 236.*

Quoties seipsum signat regulariter post signum Crucis iungit manus, nisi aliquid obstat; *Idem p. 3. cap. 3. num. 5. pag. 215.* quod est intelligendum, si ea, quæ signum Crucis sequuntur, dicenda sint manibus iunctis: caueat autem, ne in fine dexteram sibi deosculetur: *Bonamic. p. 3. obseru. 2. num. 1.*

Hic aduertendum est, quod dum Sacerdos seipsum signat, manum sinistram infra pectus ponit, ut dictum est: dum signat Librum ponit super ipsum; quando verò benedicit alijs rebus, ponit sinistram super Altare, si possit; sin minus, infra pectus; ex *Bauldr. loc. cit. pag. 216.*

Signum Crucis supra res, quæ benedicuntur, formatur non per quatuor puncta, . . . , sed per duas lineas † alteram rectam, & alteram transuersam, manu prorsus extensa, digitis simul iunctis, & paruo digito inflexo versus rem, cui benedicitur, & linea transuersa, fit manu quoque transuersa: ita *Gauant. & Bauldr. loc. cit.*

Et licet *Quart. part. 2. tit. 3. sect. 1. dub. 5.* longè probabilior vocet opinionem *Castaldi lib. 2. sect. 7. cap. 3. num. 5.* docentis, lineam transuersam formandam esse non manu transuersa, sed extensa in rectum, his verbis; *Neque manum inflectat, sed quasi calamo lineas designans, paruum digitum vertat ei, cui benedicit.*

Nihilominus opinio *Gauant. & Bauldr.* magis arridet, præsertim quando benedicuntur oblata, cum maiorem præferat venustatem, & iuxta contrariam opinionem secunda

linea, vt bene obseruat Pollac. in *Aphorism.* relatus ab eodem *Quart. loc. cit.* priorem lineam occuparet, & deleret; vide quæ dicuntur infra *tit. 12. dub. 1.*

Rubrica V I.

Postquam dixerit In nomine Patris &c. vt supra iungens iterum manus ante pectus pronunciat clara voce Antiphonam. Introibo ad Altare Dei; Minister vero retro post eum ad sinistram genuflexus prosequitur Ad Deum, qui lætificat iuuentutem meam. Deinde Sacerdos eodem modo stans incipit, & prosequitur cum Ministro alternatim 1 Psalmum, Iudica me Deus vsque ad finem, cum Gloria Patri. Quo finito, repetit 2 Antiphonam, Introibo cum Ministro, vt supra; qui Psalmus nunquam pratermittitur, nisi in Missis Defunctorum, & in Missis de tempore à Dominica Passionis inclusuè, vsque ad Sabbatum Sanctum exclusuè, in quibus dicta semel tantum Antiphona, Introibo cum Ministro, vt supra, Sacerdos statim subiungit Versum, Adiutorium nostrum, &c. vt infra. Cum in fine Psalmi dicit, Gloria Patri, &c. caput Cruci inclinat.

Nota.

1 Psalmus, *Iudica me Deus*, an sit dicendus infra hebdomadam Passionis in Missis votiuus de Cruce, & Passione, dictum est supra in *Miscellan. num. 1.*

2 In repetitione Antiphonæ ne dicas, vt multi faciunt, *Et introibo*, sed solum, *Introibo*.

Rubrica VII.

Repetita Antiphona, Introibo dextera manu producens signum Crucis à fronte ad pectus, dicit Versum, Adiutorium nostrum in nomine Domini. *R.* Qui fecit cælum & terram. Deinae Altari profundè se inclinans iunctis manibus dicit 1 Confiteor, vt in ordine Missæ, & prosequitur eodem modo stans inclinat, donec à Ministro dictum sit, Misereatur. Cùm incipitur à Ministro, Confiteor, 2 se erigit. Cùm dicit, mea culpa, 3 ter pectus dextera manu percutit, sinistra infra pectus posita.

Nota.

1 **N**on est addendum ad Confiteor, nomen Patroni, aut alterius Sancti, quia id prohibetur à Pio V. *Baudr. tit. 3. pag. 237.*

2 Dicto à Ministro, Misereatur tui, respondet Amen, vt patet in ord. Missæ, postea se erigit, non prius, ex ipsa Rubrica.

3 Percussio pectoris fit dexterae digitis simul iunctis, ac clausis, sinistra infra pectus posita; *Castald. lib. 2. sect. 7. cap. 4.* sed post consecrationem sinistra ponitur super Corporale, & pectus percutitur solis tribus extremis digitis, vt suo loco dicetur.

Rubric. VIII. est de Missa coram Prelatis.

Rubrica IX.

Cum Minister, & quis intersunt (etiam si tibi fuerit Summus Pontifex) respondent

Confiteor, dicunt tibi Pater, & te Pater, aliquantum Conuersi ad Celebrantem.

Nota.

IN Missa priuata Celebrans non se vertit ad Ministrum cum dicit, vobis fratres, & vos fratres, & Misereatur vestri; Bauld. loc. cit.

Rubrica X.

FActa à circumstantibus Confessione, Celebrans stans respondeat 1 Misereatur vestri, &c. Deinde producens manu dextera à fronte ad pectus signum Crucis, dicit, Indulgentiam, &c. & stans 2 inclinatus iunctis manibus prosequitur, Deus tu Conuersus, & quæ sequuntur in Ordine Missæ clara voce, vsque ad Orationem, Aufer à nobis, & cum dicit 3 Oremus, extendit, et iungit manus.

Nota.

1 **D**icens Misereatur vestri, non addat omnibus, & ad Indulgentiam, non addat omnium.

2 Mediocri, non profunda inclinatione, idest minus inclinatus, quam ad Confiteor, patet ex Rubric.

3 Oremus, dicit clara voce, & adhuc inclinatus; Bauldr. loc. cit. pag. 238. & tunc manus extendit, & iungit, non autem eleuat, vt plurimi faciunt: & extendit antequam dicat, Oremus, quod cum dicit, eas iungit.

Rubric. XI. est de Missa coram Prælati.

T L

TITVLVS IV.

De Introitu, Kyrie, & Gloria in excelsis.

Rubrica I.

Dum dicit, Aufer à nobis, Celebrans iun-
ctis manibus ascendit ad medium Al-
taris, & ibi 1 inclinatus, manibusque item
iunctis super eo positis, ita ut digiti parua
dumtaxat frontem, seu medium anterioris
partis tabula, seu mensa Altaris tangant, re-
siduo manuum inter Altare, & se retento, pol-
lice dextro super sinistrum in modum Crucis
posito, (quæ omnia semper observantur, cum
manus iuncta super altare ponuntur) secreto
dicit Oramus te Domine, &c & cum dicit
Quorum reliquiae hinc sunt, osculatur Altare
in medio, manibus 2 extensis aequaliter hinc
inde super eo positis; quod semper seruetur,
quando osculatur Altare; sed post Consecra-
tionem pollices ab indicibus non disiunguntur
In omni etiam deosculatione siue Altaris, siue
Libri, siue alterius rei, non producitur signum
Crucis pollice, vel manu super id, quod oscu-
landum est.

Nota.

VT Celebrans aptè se inclinet, aut genu-
flectat, paululum retrocedet ab Alta-
ri; idem faciat ad ipsum osculandum, vt possit
osculari in medio, non ad latera; *Basil. loc.*
sit. pag. 238.

Si in Altari non sint Reliquiæ, quid sit omit-
tendum, dictum est *lib. 1. cap. 2. § 4. nu. 2.*

2 Quando extenduntur manus super Altare
siue ad ipsum osculandum, siue alia de causa
ante Consecrationem, ponuntur extra Corpo-
rale, *Bauldr. p. 3. c. 4. nu. II. pag. 211. Bonam.*
p. 1. obseru. II. num. 8. nisi Corporale sit adeo
magnum, vt gestus fieret inconcinuus.

Rubrica II.

Osculato Altari x accedit ad eius cornu
sinistrum, id est Epistola, ubi stans ver-
sus Altare, & 2 producens à fronte ad pectus
signum Crucis, incipit intelligibili voce In-
troitum Missæ, & prosequitur iunctis manus,
Cum dicit Gloria Patri tenens iunctas manus,
3 caput inclinatur versus Crucem. Cum repetit
Introitum, non signat se, vt prius: & eo repeti-
to, iunctis manibus ante pectus, accedit ad me-
dium Altaris, ubi stans versus ad illud, simi-
liter manibus iunctis, dicit eadem voce ter 4
Kyrie eleison, ter Christe eleison, & iterum ter
Kyrie eleison alternatim cum Ministro; si Mi-
nister, vel qui intersunt Celebranti non res-
pondeant, ipse solus nouies dicit.

Nota.

1 **P**ost osculum Altaris, aliqui superfluè
iterum Cruci se inclinant; *Basla. tit. 4.*
pag. 239.

2 In Missis Defunctorum non signat se-
ipsum, sed Librum manu sinistra super illum
posita, vt suo loco dicitur.

3 Dicens *Gloria Patri*, conuertit tantillum corpus cum capite versus Crucem, quod seruari debet in pari casu: idem *loc. cit.* non tamen eleuat oculos, sicuti etiam ad *Oremus*, qui quoties, & quando eleuentur in Missa, dicitur *lib. 3. capit. 1. §. 15.*

4 Errant, qui incipiunt *Kyrie*, dum procedunt ad medium Altaris: idem *loc. cit.* debet enim Sacerdos accedere ad medium, caput Crucis inclinare, deinde incipere; quæ reuerentia facienda est, quoties acceditur ad medium Altaris, vel ab eo receditur, nisi paulo ante recessum, vel paulo post accessum præscribatur à *Rubric.* vt quando osculatur Altare, vel quando post Euangelium dicitur *Credo*, nam statim caput inclinandum est, cum dicitur *Deum ex Baular. tit. 2. pag. 235.*

Rubrica III.

Dictò ultimo *Kyrie eleison*, Sacerdos stans in medio Altaris, & manus 1 extendens eleuansque vsque ad humeros, (quod in omnè manuum eleuatione obseruatur) voce prædicta incipit, si dicendum sit, *Gloria in excelsis* Cum dicit Deo, iungens manus, caput Crucis inclinat, quo erecto stans manibus iunctis ante pectus prosequitur vsque ad finem. Cum dicit, *Adoramus te. Gratias agimus tibi. Iesu Christe. Suscipe deprecationem nostram,* & iterum *Iesu Christe, caput Crucis inclinat.* Cum dicit in fine, *Cum Sancto Spiritu, seipsum à fronte ad pectus signat, 2 interim absolvens in Gloria Dei Patris, Amen.*

Nota.

1 **V**enustè hic gestus fiet, si manus extendas dum dicis *Gloria* eleues dum dicis *In excelsis* iungas dum dicis *Deo*, & tunc inclinatur caput, non tamen eleuantur oculi, vt multi faciunt, præter *Rubric.*

2 In fine dum dicitur *Amen*, iungendas esse manus docent *Bald.* & *Gavant. p. 2. tit. 4. lit. P.* contrarium tamen docet cum alijs *Bonamic. p. 2. nu. 9.* quod est magis conforme *Rubricæ.*

Et idem seruandum ex eodem *Bonamic.* in fine Symboli, & Præfationis dum dicitur *Benedictus, qui venit, etc.*

Volunt tamen aliqui, manus iungi saltem in fine Symboli, quia illa manuum iunctio habet mysterium, nam iungendo manus ostendimus applaudere veritati fidei quam audiuius; nihilominus probabilius puto; etiam in fine Symboli non esse iungendas, nam etiam si non iungantur, suum, & fortasse nobilius non deest mysterium: nimirum, cum sciamus fidem sine operibus mortuam esse, post auditos articulos fidei manus non iungimus, vt statim ne minima quidem interposita mora ad operandum eas extendamus.

TITVLVS V.

De Oratione.

Rubrica I.

Dicto Hymno *Gloria in excelsis*, vel si non sit dicendus, eo omisso, Celebrans osculatur

latur Altare in medio, manibus hinc inde super eo, ut supra, extensis, tum illis ante pectus iunctis, & demissis ad terram oculis vertit se à sinistro 1 latere ad dextrum versus populū, hoc est per eam partem, qua respicit cornu Epistola, & 2 extendens, ac iungens manus ante pectus, ut prius, dicit voce prædicta 3 Dominus vobiscum, vel si sit Episcopus, Pax vobis, quod dicitur tantum hoc loco; quando dictus est Hymnus Gloria in excelsis &c. Et cum spiritu tuo; & iunctis ut prius manibus, reuertitur per eandem viam ad Librum, ubi eas extendens, ac iungens ante pectus, caput Cruci inclinans dicit 4 Oremus, tum extendit manus ante pectus, ita ut palma unius respiciat alteram; & digitis simul iunctis, quorum summitas humerorum altitudinem non excedat, quod in omni manuum extensione ante pectus observatur. Stans autem ut supra extensis manibus dicit Orationem. Cùm dicit Per Dominum nostrum, iungit manus, easque iunctas tenet 5 vsque ad finem. Si aliter concluditur Oratio, Qui tecum, vel Qui vivis, cùm dicit in veritate, iungit manus.

Nota.

1 A Sinistro latere Altaris, quod est dextrum Sacerdotis.

2 Caput non inclinēt versus Populum, nec innitatur Altari, & manus ita iunctas habeat, ut nullum sit inter digitos spatium. Bauldr. tit. 5. pag. 240.

3 Manus disiunguntur ad latitudinem corporis; non ultra, & statim coniunguntur, quas

non solum extendendas, sed etiam eleuandas docet *Bauldr. loc. cit. ex Caremon. Episc. lib. 2. cap. 8.* quod etiam docet *Gauant. p. 2. tit. 5. lit. O.* Cum vero dicit *Oremus*, solum extendit, & statim iungit, vt alibi dictum est.

4 Errant qui dicunt *Oremus* in medio Altaris. Et cum Celebrans concludit Orationem, *Qui visis*, aut *Qui tecum visit*, iungit tantum manus, cum dicit *in unitate*, & nullo modo inclinat caput, nec se conuertit ad Crucem; *Bauld. loc. cit. pag. 241.*

Quando in Oratione, quæ dirigitur ad Patrem, nominatur etiam Filius; dicitur in conclusione *Per eundem &c.* nisi nominetur in fine Orationis, quia tunc dicitur, *Qui tecum &c.* & si nominetur Spiritus Sanctus, dicitur *in unitate eiusdem &c.* quod seruandum esse etiam in vltima conclusione, quando nominatus est in secunda, vel alia Oratione, docet *Pollac. in suis Aphorism. p. 1. cerem. 10 pag. 79.* quod de facto seruatur in Missa solemnipro gratiarum actione, in qua cum dicantur duæ Orationes sub vna conclusione, dicitur in fine *in unitate eiusdem* licet Spiritus Sanctus nominetur in prima Oratione.

Idem dicendum, quando nominatus est Filius, quamuis *Pollac.* loquatur solum de Spiritu Sancto: nulla enim disparitatis ratio assignari potest.

5 Cum plures Orationes dicendæ sunt, post manuum iunctionem, & capitis inclinationem versus Crucem, poterit reperiri alia Oratio, antequam terminetur conclusio, & ita seruatur in praxi.

Rubrica II.

Cum nominatur nomen Iesu, caput versus Crucem inclinatur, quod etiam facit cum nominatur in Epistola . Et similiter ubicumque nominatur nomen B. Mariae, vel Sanctorum 2 de quibus dicitur Missa, vel sit 3 commemoratio, item in Oratione pro 4 Papa, quando nominatur, semper caput inclinatur, non tamen versus Crucem . Si plures Orationes sunt dicenda, idem in eis, in voce, extensione manus, & capitis inclinatione, quod supra dictum est, observatur .

Nota .

1 **P**rofundius inclinatur se ad nomen Iesu, quam ad alia nomina; *Bauldr. loc. cit. pag. 241.* & ad solum nomen Iesu caput inclinatur versus Crucem: patet ex *Rubr.* sed quando nominatur in Evangelio caput inclinatur versus Librum, non versus Crucem, ut habetur in eadem *Rubric. tit. sequenti, Rubr. 2.*

Ad nomen Iesu, & Mariae, caput inclinatur ubicumque nominantur, nisi iam sit Sacerdos inclinatus ante Altare; sed ad nomen aliorum Sanctorum, solum quando nominantur in Oratione, & in Canone? *Bauldr. loc. cit.* non autem si nominantur in Epistola, vel Evangelio per modum Historiae, Idem *Bauldr. p. 3. c. 5. n. 3. pag. 213.* quod placet; quamvis *Rubric.* videatur contrarium dicere .

2 Patet ex *Rubr.* caput inclinandum esse, dum nominatur nomen Sancti, etiam in Missa votiva,

3 No-

3 Nomine Sanctorum, ne intelligas suffragia communia in Oratione, *A cunctis*; sed commemorationem de S. Simplicio, vel de Octaua, de quibus etiam fit commemoratio in Officio; *Gavant. p. 2. tit. 5. lit. C.*

4 Ad nomen Papæ caput inclinatur etiam in Canone; *Bauldr. tit. 5. pag. 241.* sed solum intelligitur nomen Papæ viuentis; *Bonamic. p. 1. obseru. 12. num. 1.*

Rubrica III.

SI Altare sit ad Orientem versus populum Celebrans versa facie ad populum, non vertit humeros ad Altare, cum dicturus est Dominus vobiscum. Orate fratres. Ite Missa est, vel daturus est benedictionem sed osculato Altari in medio, ibi expansis, & iunctis, manibus, ut supra, salutat populum, & dat benedictionem.

Notæ.

1 **N**on intelligitur *Rubric.* de Oriente reali solum, sed etiam imaginario, nec de omni Altari ad Orientem, sed solum de eo, in quo Celebrans habet populum ante faciem suam. *Bauldr. loc. cit.*

Rubrica IV.

IN Quatuor temporibus, vel alias, quando dicenda sunt plures Orationes cum Prophetijs, dicto Kyrie eleison, in medio Altaris reuertitur ad cornu Epistolæ, ubi stans ante Librum extensis, & iunctis ante pectus manibus,

Tit. 6. De Ep. Gr. & alijs vsq; ad Off. 151
Ius, & caput Crucis inclinans dicit, Oremus.
Flectamus genua, et illico manibus 2 super Al-
tare extensis, vt seipsum ad Altare sustineat,
genus flectit, et sine mora surgens, eadem voce
Ministro respondente Leuate, manibus extensis
dicit Orationem vt supra, et in conclusione
eas iungit. Dum autem legit Prophetias tenet
manus super Librum, vel Altare positas, vt
mox dicetur de Epistola.

Nota.

1 **F**Acta prius Crucis reuerentia, vt supra di-
ctum est.

2 Celebrans semper tenet manus super Al-
tare dum genuflectit, digitis simul iunctis: suf-
ficit autem, si vnicum flectat genu, *Bauldr. loc.
cit. pag. 242.*

Et quando genuflectit in medio ante Con-
secrationem extendit manus, quantum fieri po-
test, extra Corporale, *Bonamic. obseru. II. nu.
10.* & cum genuflectit, dum legit Euangelium,
manus non esse disiungendas docet idem *Bona-
mic. loc. cit.* sed cum nulla appareat disparitatis
ratio, seruetur contrarium, vtpote ad surgen-
dum commodius.

TITVLVS VI.

De Epistola, Graduali, et alijs vsque
ad Offertorium.

Rubrica I.

Dictis Orationibus, Celebrans positus su-
per Librum, vel super Altare manibus
ita

ita ut palma Librum tangant, vel ut placuerit, Librum tenens, legit Epistolam intelligibili voce, & respondetur à Ministro 1 Deo gratias, & similiter stans eodem modo profertur Graduale, Alleluia, & Tractum, & Sequentia si dicenda sint. Quibus dictis Sacerdos ipsemet, si priuatim celebret, seu 2 Minister, portat Librum Missalis ad alteram partem Altaris, caput Cruci inclinatur, & Missale sic locat, ut posterior pars Libri respiciat ipsum cornu Altaris, & non ad parietem, sed ad partem eius contra se directam.

Nota.

1 **R**espondetur Deo gratias, etiam in fine cuiuslibet Prophetiæ exceptis vltima Danielis in Sabbato Quatuor temporum, & Lektionibus feriæ 6. in Parasceue, & Sabbati Sancti, Bauldr. p. 1. c. 16. nu. 23. pag. 110.

2 Decet ut ipse potius Minister deferat Missale ab vna parte ad alteram, nisi aliter necessitas postulet: Bonamic. p. 2. nu. 13.

Rubrica II.

Locato Missali in Altari, Celebrans redit ad medium Altaris, ibique stans iunctis manibus 1 ante pectus, elevatisque ad Deum oculis, & statim demissis, tum profundè inclinatus dicit secreto Munda cor meum, & 2 Iube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo &c. ut in Ordinario. Quibus dictis, vadit ad Librum Missalis, ubi stans versus illum iunctis manibus ante pectus dicit intelligibili voce

voce Dominus vobiscum. R. Et cum spiritu tuo; deinde pollice dextra manus signo Crucis 3 signat primò Librum super principio Euangelij, quod est lecturus, postea seipsum in fronte, ore, & pectore, dicens, Sequentia, vel Initium Sancti Euangelij, &c. R. Gloria tibi Domine. Tum iunctis iterum manibus ante pectus, stans ut supr. à prosequitur Euangelium vsque ad finem; quo finito, Minister stans in cornu Epistola post infimum gradum Altaris respondet, Laus tibi Christe, & Sacerdos eleuans parumper Librum 4 osculatur principium Euangelij, dicens, Per Euangelica dicta, &c. praterquam in Missis Defunctorum; nam tunc Celebrans non osculatur Librum, nec dicit Per Euangelica dicta &c. Cùm nominatur Iesus caput versus Librum inclinat, et eodem modo versus Librum genuflectit, cùm in Euangelio est genuflectendum.

Nota.

Tenet manus iunctas ante pectus, non tamen super Altare positas; ita ex ipsa Rubric. Bauldr. tit 6. pag. 243.

2 Dicit Domine, non Donne, quia Deum alloquitur. Secus Diaconus dicit Donne, quia alloquitur Celebrantem; nam Dominus titulus Dei est, Dominus hominis præclari: vnde in Litanijs Papa dicitur *Domnus Apostol* Hinc collige, quod quando quis Diuinum Officium solus persoluit, deberet dicere *Iube Domine*, quando verò in Choro, vel cū socio, *Iube Domine*. Solus Episcopus cantans vltimam lectionem, dicit *Iube Domine*, cum non habeat superior-

riorem, quem *Domnum* appellet, & ideò benedictionem petit à Deo, & tunc absolutè per Chorum respondetur *Amen*; ita ex *Carem. Episc. lib. 2. cap. 5.* sed quicumque alius Episcopo inferior debet dicere *Iube Domne*, cui secundus in Choro respondet congrua benedictionis verba; ita *Gauant. in Rubric. Breviar. sect. 5. cap. 11. nu. 4.*

3 Cùm Signat Librum, sinistram ponit super eum, cùm verò seipsum, eandem ponit infra petus. Signat verò tam librum, quàm se non vngue pollicis; sed pulpa. *Bauldr. loc. cit.*

4 Celebrans aliquantulum se inclinat osculaturus Librum, manibus parumper eleuatum; idem *loc. cit.*

Dicto Euangelio, defert librum prius osculatum propè Corporale, vt facilius legat quæ in medio dicenda sunt. Idem *loc. cit.*

Hic adnotare libet, quod quando publicandi sunt dies festi, ieiunia, matrimonia, & alia huiusmodi publicari debent immediatè post Euangelium, non post Offertorum, ita DD. & habetur expressè in nostra Florentina Synodo Anno 1627. §. 1. de Celebratione Missarum.

Idem seruatur, quando habenda est Concio, vel in explicationem Euangelij, vel in laudem Sanctorum; sed quando habetur sermo in laudem alicuius magni viri defuncti, vel pro expositione SS. Sacramenti, pro gratiarum actione, pro publicatione Iubilæi, Pacis, & similibus, habetur finita Missa, postquam Celebrans deposita Planeta Pluuiali indutus est; ita ex *Bauldr. par. 1. cap. 10. de Officio Concionatoris pag. 48.* Quæ, licet ad Missam solemnem pertineant, ea tamen scire iuuabit,

Rubrica III.

D Iſto Euangelio ſtans in medio Altaris
verſus Crucem 1 eleuans, & extendens
manus, incipit ſi dicendum ſit, Credo. Cùm di-
cit In vnum Deū, iungit manus; & caput Cru-
ci inclinat. Cùm dicit Et incarnatus eſt, vsque
ad & homo factus eſt, in cluſu d, 2 genuſtegit.
Cùm dicit ſimul adoratur, caput Crucis incli-
nat. Cùm dicit & vitam venturi ſæculi 4 Amen,
producit ſibi manu dextra ſignum Crucis à
fronte ad pectus.

Nota.

1 **M**ANUS extendit, eleuat, & iungit: ſicut
ad *Gloria in excelsis*, inclinat caput
ad nomen *Deum* tantum, nec eleuat oculos;
Bauldr. tit. 6. pag. 244.

2 Vnicum genu ſtegit ad *Et incarnatus
eſt*, & dum dicit *Et homo factus eſt*, caput etiam
inclinat. *Idem lob. cit.* Et notat ex *Caſtaldo*,
Quart. part 2. tit. 6. rubr. 3. quod dum genuſte-
git, & ſurgit, tenet manus hiuc inde ſuper Al-
tare extenſas; ſed ad verſum *Et incarnatus eſt*,
quem totum genuſtegit dicit, tenet iunctas an-
te pectus: ſed hoc in praxi non ſeruatur.

3 Inclinat caput ſolum ad verbum *Adora-
tur*, non ad illud ſequens *conglorificatur*.

4 Ad verbum *Amen*, poſt ſignum Crucis,
non iungit manus, vt in ſimili dictum eſt cum
Bonamic. tit. 4. rubr. 3. num. 2. licet contrarium
doceat *Bauldr. loc. cit.*

*Rubrica IV. V. VI. VII. & VIII. ſunt de Miſſa
ſolemni.*

H

TI

TITVLVS VII.

De Offertorio, & alijs vsque ad Canonem.

Rubrica I.

Dicto Symbolo, vel si non sit dicendum, post Euangelium i osculatur Altare in medio, & iunctis manibus ante pectus ibidem à manu sinistra ad dexteram, vt dictum est supra, vertit se ad populum; & extendens, ac iungens manus, dicit, Dominus vobiscum, & iunctis manibus reuertitur per eandem viam ad medium Altaris; ubi extendens, ac iungens manus, caputque Cruci inclinans dicit, Oremus: tum iunctis, vt prius manibus, dicit Offertorium, & omnia, qua vsque ad finem Missa in medio Altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans versus ad Altare, nisi ubi aliter ordinatur.

Nota.

Accommodato Libro iuxta Corporale, quando Symbolum dicendum non est, non iungit manus, sed immediatè osculatur Altare, vt colligitur ex Rubric.

Rubrica II.

Dicto Offertorio a discooperit Calicem, & ad cornu Epistole sistit, et manu dextera amouet paruum pallam desuper Hostiam, & accipit Patenam cum Hostia, et ambabus mani-

Tit. 7. de Off. et alijs vsq; ad Can. 157
manibus vsque ad pectus eleuatam tenens
oculis ad Deum eleuatis, ac statim demissis di-
cit, Suscipe Sancte Pater.

Nota.

1 **C**alicem discooperit, dum adhuc est su-
per Corporale, velo tantum amoto,
quod à Ministro, non à seipso plicatur, si com-
modè fieri potest, & propè tabellam secretarum
in cornu Epistolæ deponitur, *Bauldr tit. 7.*
pag. 245. Si verò ipse Sacerdos velum plicet,
deponat illud vtraque manu à posteriori parte
Calicis eodem tempore ipsum plicans: deinde
sinistra manu super Altare deposita sola dextra
extrahat illud à Corporali, & reuolutum ver-
sus medium Altaris relinquat ibi iuxta tabel-
lam secretarum, vt dictum est.

2 Sola dextra Patenam accipit de Calice,
sed postea ambabus manibus eam eleuatam te-
net ante pectus, non verò ante faciem, *Bauldr.*
loc. cit.

Rubrica III.

Sifuerint alie Hostia non super Patenam,
sed super Corporale, vel alio Calice, seu
alio vase pro Communione Populi consecran-
da, Calicem illum seu vas dextera 1 discoope-
rit, et intentionem suam etiam ad illas offe-
rendas, et consecrandas dirigens dicit, vt su-
prà, Suscipe Sancte Pater, &c. vt in Ordin.
Miss. Quo dicto, Patenam vtraque manu te-
nens cum ea 2 facit signum Crucis supra
Corporale, et deponit Hostiam circa medium

H 2 ante.

anterioris partis Corporalis ante se, & Patenam ad manum dexteram aliquantulum subtus Corporale, quam exterso Calice, ut dicetur, cooperit Purificatorio. Si autem adfit vas, seu Calix cum alijs Hostijs, ipsum cooperat alia Patena, vel Palla.

Nota.

1 **D**iscooperit Pixidem, antequam Patenam de Calice accipiat, imò antequam Pallam amoueat à Patena.

2 Signum Crucis cum Patena facit per lineas æquales, non per puncta, nec Corporale tangit; *Bonamic. p. 2. num. 17.* & deponit Hostiam distantem ab extremitate Altaris, palmum circiter, *ibidem num. 18.* ita ut ponatur in medio factæ Crucis, quæ fieri poterit à medio Corporalis, vsque ad oram anteriorem, quæ verò fit cum Calice fiet in alia parte Corporalis vsque ad medium circiter, ita ut non fiat super Hostiam.

3 Deposita Patena, antequam accedat ad extergendum Calicem, cooperit Pixidem.

4 Si Particulæ consecrandæ sint super Patena, offert simul cum Hostia super eadem Patena; deinde deposita Hostia, statuit eas à parte Euangelij super Corporale è regione maioris Hostiæ aliquantulum ab ea distantes, ne tangantur à manipulo in consecratione Calicis, ex *Bauldr. loc. cit.* & in Oratione *Suscipe*, dicit *Hostiam*, non *Hostias*.

Si afferantur ad Altare Particulæ post Oblationem, poterunt ex graui causa consecrari, mente prius oblata; sed non sufficere commo-

dita-

dicatam communicare volentium, docet contra
Quart. Pasqualig. quest. 335. vbi tamen *nu. 6.*
& 10. dicit, esse solum peccatum veniale, si an-
te inceptum Canonem offerantur. Post Cano-
nem verò inceptum non possunt admitti, etiam
ad dandum Viaticum: tunc enim satius est con-
feruare partem Hostiæ maioris, vt notat idem
Quart. p. un. 2. tit. 7. sect. 1. dub. 3.

Hic notandum est, materiam remotam Eu-
charistiæ (nam proxima est ipsamet consecra-
tio) esse solum panem communem vsualem ex
tritico, & aqua naturali coagmentatum, co-
ctum, aut assum solo igne, siue in fumo torrea-
tur, siue subcinere, siue in aliquo vase, & si tri-
ticum fuerit cum alia materia permixtum, in
ea tamen quantitate, quæ non soluat speciem
tritici, erit materia sufficiens: idem dicendum,
si cum aqua naturali misceatur aqua rosacea,
vel similis, sed in modica quantitate: ex quo se-
quitur Hostiam rubram non esse aptam mate-
riam, quia admixtio cinabri notabiliter alterat
materiam tritici, & extrahit à pane communi,
& vsuali.

Ex dictis infertur I. Non esse materiam su-
ficientem panem ex leguminibus, & fructibus
aliquarum arborum, non ex hordeo, spelta, &
siligine, nisi hoc nomine intelligatur triticum
selectum, vt apud *Plin. lib. 2. cap. 8.* vbi siligi-
nem appellat tritici delicias: non ex amylo,
quia quamuis fiat ex tritico, per macerationem
tamen transit in aliam substantiam, quicquid
alij in contrarium dicant.

Panis verò ex farro, si far accipiatur pro fa-
rina hordeacea, vt ab aliquibus, erit materia
inepta; si verò pro quadam specie veri tritici,

erit materia sufficiens, vt monet *Leandr. loc. infr. cit. quæst. 7.* Sed panis ex t̄ypha, vulgo secala, ad quam speciem reducitur etiam siligo, est materia valdè dubia; & ideò, qui in eis consecraret, grauiter delinqueret; sicuti etiam, qui consecraret materiam notabiliter mixtam, vel valdè corruptam.

II. Infertur, panem confectum cum aqua rosacea, vel alia quacumque stillata, non esse materiam aptam, quia ad minus non est panis vsualis, & communis, qui fieri non solet cum infusione aquæ artificialis, sed elementaris. Idè dicit *Leand. p. 2. tr. 7. disp. 8. qu. 14* si fieret ex farina, & succo ex eodem tritico expresso: secus si cum aqua maris, quicquid in contrarium dicant aliqui apud *Dian. p. 9. tr. 9. res. 58.*

III. Infertur, massam, seu pastam crudam, etiam Sole exsiccata, aut oleo, aut butyro in sartagine frixam, aut aqua elixam, non esse materiamabilem: sed mica panis madefacta, & digitis compressa, & facta quasi massa cruda, esset adhuc materia Sacramenti, vt contra *Fagund. & Trullenc.* defendit *Leand. loc. cit. qu. 12* & ratio euidentis est, quia per illam compressionem nullo modo amisit coctionem, aut esse panis; alioquin, quando Hostia consecrata sumitur, manditur, & madefit in ore, ammitteret accidentia panis, & consequenter desineret esse verum Sacramentum, quod est omninò falsum.

IV. Infertur, panes dulciarios, & alia quacumque ex ouis, lacte, & melle condita non esse materiam Sacramenti.

V. Denique infertur, non esse de necessitate Sacramenti, quod panis sit azymus, aut fermentatus, quia vterque est panis vsualis; conuenientior

tio
ria
ita

Ec
Gr
ex
con

fian
fia
ful
tus

rob
om
ran

cen
hab
dife

feru
pla
lebr

22.
ide
cran

in d
poc

C
sen
Ecc
Gra
Tan
etia
qui
lius

rior tamen azymus, quia est certa ferè sententia Christum Dominum in azymo consecrasset; ita *D Thom quest. 74. artic. 4.*

De necessitate præcepti Sacerdos Latinus in Ecclesia Latina tenetur in azymo consecrare; Græcus in Ecclesia Græca in fermentato; Ita ex Conc. Flor. in decret. de Armen. §. 2. docent communiter DD.

Sed Sacerdos Latinus iter agens per Ecclesiam Græcam, & Græcus per Latinam, Ecclesiæ suæ consuetudinem retinere poterunt consultius tamen illius, qua transeunt, Ecclesiæ ritus seruabunt; ita ex *Coninch. & alijs docet Esobar. p. 3. lib. 20. sect. 1. cap. 2. nu. 19.* ad quod omninò tenebuntur, si fiant incolæ, & acquirant domicilium in eo loco, quia vnusquisque censetur membrum illius Ecclesiæ, apud quam habet domicilium, & non alterius, à qua iam discessit. Quod si ibi sunt templa deputata ad seruandum proprium ritum, vt Romæ sunt templa Græcorum, quamuis multi dicant teneri celebrare in ipsis, nihilominus *Leand. loc. cit. qu. 22.* docet cum alijs posse, sed non teneri, atque idè poterit Græcus in alijs Ecclesijs consecrare, etiam in azymo: verum quidem est, quod in dicto templo Græcorum apud Latinos non potest Latinus consecrare in fermentato.

Quæ dicta sunt de Sacerdote, respectiuè dicenda sunt de laico, qui iter agens poterit in Ecclesia Græca communicare in fermentato, & Græcus in Latina in azymo, quod concedit etiã *Tambur. Meth. Commun. cap. 2. §. 9. num. 13.* etiam si ibi reperiantur Ecclesiæ proprii ritus: qui tamen quoad Sacerdotes dicit semper melius esse, quod proprium ritum seruent etiam

in aliena Ecclesia, & hoc validis firmat rationibus, & nu. 5. dixerat, quod, si ibi sit Ecclesia proprii ritus, in ea celebrare omnino debebunt.

Ex dictis patet, quod aliquando Latinus in fermentato, Græcus in azymo communicare tenebitur, nimirum ad satisfaciendum præcepto Communionis Paschalis, & Viatici, si sit in loco, ubi secundum proprium ritum satisfacere nequeat.

Addit Pasqualig. quest. 47. nu. 5. aliquando posse dari calum, in quo Sacerdos Latinus teneatur in propria Ecclesia consecrare in fermentato, & Græcus in sua in azymo, ut quando post consecrationem Calicis aduertit materiam Corporis fuisse ineptam, & aliam sufficientem etiam post horam haberi non posse: tunc enim, inquit, ad supplendam consecrationem primæ speciei, teneri consecrare Latinum in fermentato, & Græcum in azymo, quia præcepto diuino perficiendi sacrificium cedere debet Ecclesiasticum, quod Latinus non consecret in fermentato, & Græcus in azymo.

Sed quando hic casus continget? & si contingerit, quomodo feruari poterit sine scandalo? Ideò cum omnibus absolutè dicendum est, nulla de causa hunc ritum mutari posse, etiam addendum Viaticum, licet infirmus nullum aliud Sacramentum posset recipere, quamuis Suarez apud Tambur. loc. cit. concedat in hoc casu posse quidem Græcum consecrare in azymo, non verò Latinum in fermentato: ratio ipsius est, quia minus est recedere à consuetudine Ecclesiæ Græcæ, quæ est membrum, quàm à consuetudine Latinæ, quæ est caput: & ideò videtur Græcus posse excusari in tanta necessitate

ad
nus
tra
seq

D
teno
de r
pul
nit
teno
amp
sub
Cal
&
fun
sed
tion

1
cui
2
ten
& f
inte
Cal
aut
pro
ipfi

ad

Tit. 7. de Off. et alijs vsq; ad Can. 163
ad consecrandum in azymo, non autem Latinus in fermentato. Idem docet *Gesuald. p. 1. tract. 8. de Euchar. tract. 2. cap. 1. num. 19. et seqq. & alij apud ipsum.*

Rubrica IV.

DEinde in cornu 1 Epistola accipit Calicem, Purificatorio 2 extergit, & sinistra tenens illius nodum, accipit ampullam vini de manu Ministri (qui osculatur ipsam ampullam, non autem manū Celebrantis) et ponit vinum in 3 Calicem. Deinde eodem modo tenens Calicem, producit signum Crucis super ampullam aqua, et dicit, Deus, qui humanæ substantiæ, &c. et infundens parum aqua in Calice, prosequitur, Da nobis per huius aquæ, & vini mysterium, &c. si verò celebret pro Defunctis, non facit signum Crucis super aquam, sed imponit absque benedictione dicens Orationem, ut supra.

Nota.

1 **A**Ntequam accedat ad cornu Epistolæ facit reuerentiam Cruci, vt alibi dictum est.

2 Exterfo Calice cooperit Purificatorio Patenam immediatè ex *Bonamic. p. 2. num. 18.* & fauet *Rubrica num. preced.* siue tenet illud inter digitos sinistrae ad abstergendas guttas Calici adhaerentes, ex *Bauldr. loc. cit.* Ponitur autem super Patenam extensum, si verò propter longitudinem plicetur, extremitates ipsius Altare respiciant, non Celebrantem, vt

deducitur ex eodem *Bauldr. tit. 10. pag. 259.*

Calicem admoueat prope ampullas, ita vt guttæ non cadant super Mappam Altaris, & inclinet Calicem, dum vinum, & aquam infundit, quem tamen non tenet eleuatum, sed positum super Altare. Si guttæ intra Calicem dispersæ appareant, circumacto vino vniantur, vel Purificatorio, quod decentius est, abstergantur: ita ex *Bonamic. & Bauldr. loc. cit.*

Hic iuuat aliquid dicere de materia remota consecrationis Sanguinis.

Et vt taceam opinionem quorundam Hæreticorum existimantium aquam, & lac esse materiam sufficientem huius Sacramenti, dicecum communi omnium sententia esse de Fide, vt in pluribus Concilijs definitum est, materiam huius Sacramenti esse solum vinum vitis ex vuis maturis expressum.

Ex dictis sequitur non esse materiam idoneam.

I. Siceram, & quemcumque alium liquorem ex moris, cerasis, malis granatis punicis, & similibus.

II. Succum ex vuis immaturis, qui omphacium, seu agresta nuncupatur: sed succus ex vuis passis esset consecrabilis, quia est verum, & perfectius vinum, vt cum *Amico* docet *Diana p. 7. tract. 12. resol. 8.*

III. Ipsam vnam quantumuis maturam, quia succos in botris, antequam exprimatur non dicitur vinum, sed eo ipso; quod expressus est, etiam nondum defœcatus, quod dicitur mustum, est materia sufficiens, qui eo tamen vteretur sine causa, grauitèr peccaret: excusat tamen consuetudo, quæ alicubi viget consecrandi

crandi in die Transfigurationis in musto, vt refert *Leand. infra citand. quest. 33.* apud quem aliqui dicunt, esse solum veniale, consecrare in musto sine causa, quam opinionem idem *Leandr.* non reprobat, sed solum suam probabiliorem appellat.

IV. Acetum, quia licet fuerit vinum, est tamen corruptum; quando verò incipit acescere, fieret Sacramentum; sed eo vti sine necessitate, esset peccatum, & interdum mortale pro ratione dubij, & irreuerentiæ, sic cum communi docet *Leand. p. 2. tract. 7. disp. 8. quest. 35.*

V. Vinum decoctum, quod dicitur, mulsum, defrutum, seu sapa, & vinum stillatum, quod dicitur aquauitis: cum in vtroque casu, virtute ignis, transierit in aliam materiam.

VI. Vinum imbibitum in ossa, seu mica panis, etiam si in concavis panis appareat sensibile, ita cum communi contra *Dicastil.* docet *Leand. loc. cit. quest. 31.* quia tempore consecrationis non potest designari per pronomen Hic, cum illud non sit solum vinum, sed etiam panis.

VII. Sequitur vinum permixtum cum aqua, vel alio liquore in modica quantitate esse materiam habilem; sed eo vti sine causa, esset peccatum, siue graue, siue leue iuxta qualitatem dubij, & irreuerentiæ, vt supra dictum est.

VIII. Non refert, an vinum sit album, vel rubrum; & quamuis album sit conuenientius, saltem pro munditia instrumentorum, nihilominus vti rubro, etiam in abundantia albi nullum esse peccatum putat *Pasqualig. quest. 220. num. 1.*

IX. In vino congelato probabilius est, imò certum esse validam consecrationem: quamvis multi dicant esse saltem illicitam; aliqui tamen apud eundem *Pasqualig. quest. 309.* affirmant esse etiam licitam, quod ipse quoque *loc. cit.* concedit, si congeletur in Calice, non autem si spontè accipiatur iam congelatum; nam in hoc casu, inquit ille, seclusa necessitate, esset peccatum veniale, (quod etiam docent *Vasquez*, & *Hurtad.* apud *Leand. loc. cit. quest. 37.* qui tamen probabilius putat esse mortale) & *num. 9.* addit non esse probabile, quod docent *Suar.* & *Quart.* videlicet vinum congelatum ante oblationem esse mutandum; nam probabilius est, posse saltem liquefactum, consecrari, ut pluribus citatis docet *Leand. loc. cit. quest. 38.*

X. Vinum miraculosè productum validè consecratur, quia est verum vinum ab Authore vini, & vitis factum, ut contigit in Nuptijs Cana Galileæ, ut cum *Henrig.* & *Bonac.* docet *Trullenc. de Sacramentis lib. 3. cap. 2. dub. 2. num. 5.*

Hic quæri potest, an sit peccatum, aquam, & vinum pro consecratione niue infrigidare?

R. Breuiter, non esse peccatum secundum se, etiam veniale, imò laudabile, putat *Pasqualig. quest. 310.* quia tempore æstatis vinum niue infrigidatum est perfectiùs, & nobiliùs in ratione potus.

Dixi secundum se, quia ratione finis, nempe si hoc fieret ad delicias, & propriam delectationem, esset peccatum veniale, quod docent etiam *Tamburin.* & *Quart.* apud eundem *loc. cit.* qui *num. 6.* addit, quod si ordinaretur per se primo ad perficiendam materiam conse-

cræ-

rationis, licet etiam concomitanter intendere-
tur proprius gustus, nullum esset peccatum, quia
esset quid, quod veniret in consequentiam ad id,
quod pro decentia sacrificij curaretur.

Rubrica V.

Imposita aqua in Calice, & finita Oratione
prædicta 1 accipit dextera Calicem discoo-
pertum, & stans ante medium Altaris ipsum
ambabus manibus 2 eleuatum tenens, videli-
cet sinistra pedem, dextera autem nodum in-
fra cuppam intentis ad Deum 3 oculis offert
dicens; Offerimus tibi Domine, &c. Quæ Ora-
tione dicta, facit signum Crucis cum Calice 4
super Corporale, & ipsum in medio paulo post
Hostiam collocat, & Palla cooperit. Deinde
iunctis manibus super Altare positis, ali-
quantulum inclinatus dicit secreto; In spiritu
humilitatis, &c. Postea erectus, eleuans oculos,
manusque expandens, & statim iungens ante
pectus (quod 5 semper facit, quando est ali-
quid benedicturus) dicit 6 Veni sanctificator,
&c. cum dicit, Et benedic 7 signat manu dex-
tra communiter super Hostiam, & Calicem, si-
nistra posita super Altare.

Nota.

1 **I**mposita aqua deponit manu sinistra Cali-
cem prope Corporale; deinde iunctis
manibus accedit ad medium Altaris prosequens
Orationem, & facta reuerentia (quæ vt plu-
rimum solet contingere ad ea verba, *Iesus
Christus*) accipit dextera Calicem, & vtraque
manu

manu offert, dextera tenente nodum, sinistra
pedem regente; aliqua ex *Bonamic. p. 2. nu. 18.*
alia colliguntur ex ijs, quæ alibi dicta sunt.

Hic nota, Aquam imponendam esse in Cali-
cem non de essentia Sacrificij, sed de præcepto
obligante sub mortali, vt dicunt communiter
Doctores, etiam in casu necessitatis, vt docent
omnes contra *Ledesm. apud Leand. p. 2. tract. 7.*
disput. 8. quest. 44. & infundenda esset etiam si
Sacerdos defectum aduerteret post consecratio-
nem panis, non autem postquam incepit, *Si-*
mili modo, vt cum alijs docet *Pasqualig.*
quest. 308.

Sed qualis, & quanta aqua vino miscēda est?
R. Debere esse naturalem; & Concil. Florent.
sub Eugenio IV. §. *Tertium Sacramentum*
mouet, aquam modicissimam infundi; ratio-
nem afferunt DD. ex *D. Thom. p. 3. quest. 74.*
art. 8. ne scilicet soluatur species vini; ex qua
ratione deducitur infundi posse plures guttas.
Ideò *Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 2. nu. 9.* cum alijs
concedit octauam, vel decimam partem pro-
portionalem; & *Delug. De Euch. disp. 4. sect. 2.*
nu. 38. ait, quod si quinta, vel sexta pars aque
infundatur, non videtur habendus scrupulus,
quia non est credibile, vinum esse adeo debile,
vt tam modica aqua possit corrumpi.

Certum est, quod quælibet gutta sensibilis
sufficit: sed ne nimis scrupulosè agas, nolo
ignores, quod in *c. Perniciosus, de celebr. Miss.*
abusus esse dicitur, si aqua in maiore quantitate
ponatur, quam vinum.

2 Eleuatio Calicis talis esse debet, vt eius
cuppa non sit supra oculos, nec infra os, *Bauld.*
tit. 7. pag. 247.

3 Oculos eleuatos tenet ad totam Orationem Offerimus, quod colligitur ex verbis Rubrica docent Bonamic. loc. cit. & Quart. p. 2. tit. 7. pag. 282 sed si opus esset Orationem legere, sufficeret eleuare oculos, & statim demittere.

4 Signum Crucis cum Calice fit ambabus manibus, Bauld. loc. cit. nec fiat super Hostiam. Quo facto ponitur super Corporale distans ab Hostia per spatium vnius circiter palmi, ex Bonamic. loc. cit. sed sufficit, si distet per spatium alterius Hostia.

6 Intelligi debet, quando vtraque manus est libera, non enim deponenda est Hostia, aut Calix ante Consecrationem, vt iungantur manus ad benedictionem faciendam, Bauldr. loc. cit. pag. 248. & post benedictionem factam non iunguntur manus, nisi subsequens actio id requirat, vt infra dicetur.

6 Caput non inclinatur cum dicit, Deus, quamuis contrarium doceat Pollac. in Aphorism. par. 1. c. 15. pag. 123. sed solum postquam benedixit oblata antequam discedat à medio; Bauldr. tit. 7. pag. 248. quæ reuerentia opportunè accidit, dum dicitur, tuo Sancto No-
mini preparatum.

7 Signum Crucis fit per duas lineas, non per quatuor puncta, vt supra dictum est, & vtraque linea æqualiter alta fiat à Calice ad Hostiam non deprimendo manum, & linea transuersa ducitur prope oram anteriorem Pallæ, quæ media esse solet inter Calicem, & Hostiam, ex Bauldr. p. 3. c. 3. num. 6. pag. 216. & vt seruetur dicta æqualitas, prima linea inchoanda est à medio Pallæ, nam vtramq; Crucis lineam non debere excedere mensuram palmi communis manus, do-

docet *Gauant. par. 2. tit. 7. lit. P.* quod etiam commodius est, & venustius: interim sinistra tenetur extensa super Altare, & post Consecrationem super Corporale, vt alibi dictum est.

Rubrica VI.

Tunc iunctis ante pectus manibus ¹ accedit ad cornu Epistola, vbi stans ministro aquam fundente lauat manus idest, extremitates digitorum ² pollicis, & indicis, dicens *Psalmum*, Lauabo inter innocentes &c. cum ³ Gloria Patri. *Qui versus Gloria Patri pratermittitur in Missis Defunctorum, & in Missis de Tempore à Dominica de Passione vsq; ad Sabbatum Sanctum exclusiue.*

Nota.

¹ **F**Acta prius Cruci reuerentia, *Bauldr. tit. 7. pag. 248.*

² Lauat pollices, & indices, non tamen labia, & os, vt multi ineptè faciunt, inquit *Quart. p. 2. tit. 13. pag. 399.*

³ *Gloria Patri* dicit in medio Altaris, aut in cornu Epistolæ, & non in via, quod dicens caput inclinat versus Crucem. Et in Missis Defunctorum loco ipsius non dicitur *Requiem aeternam*, *Bauldr. loc. cit.*

Rubrica VII.

Celebrans lotis manibus eas tergit, & illis ante pectus iunctis reuertitur ad medium Altaris, ¹ vbi stans, oculosq; ad Deum ele-

eleuans, & statim demittens manibus iunctis
 super Altare, aliquantulum inclinatus dicit
 secreto Orationem. Suscipe Sancta Trinitas,
 &c. Qua dicta, manibus hinc inde extensis, &
 super Altare positus osculatur illud in medio.
 Tum iunctis ante pectus manibus, demissisque
 oculis ad terram à 2 sinistra manu ad dexte-
 ram se vertit ad populum, & versus eum ex-
 tendens, & iungens manus dicit voce aliquan-
 tulum eleuata. Orate fratres, & secreto prose-
 quens, vt meum, ac vestrum Sacrificium, &c.
 3 perficit circulum reuertens iunctis manibus
 ante pectus à manu dextera ad medium Alta-
 ris. Et responso à Ministro, vel circumstan-
 tibus, Suscipiat Dominus, &c. alioquin per se-
 ipsum dicens de manibus meis, &c. ipse Cele-
 brans submissa voce dicit Amen, & manibus
 ante pectus extensis, vt fit ad Orationem stans
 in medio Altaris versus Librum dicit, absolu-
 te, sine Oremus, & sine ulla interpositione 4
 Orationem, seu Orationes secretas. Cum dicit
 per Dominum, iungit manus, cum dicit Iesum
 Christum, caput inclinatur; quod facit in pri-
 ma Oratione, & in vltima, si plures sint
 dicenda.

Nota.

1 **P**erueniens ad medium Altaris facit reue-
 rentiam, quæ solet seruire pro accessu
 ad Altare, & pro versu Gloria Patri, quem pro-
 sequitur erectus, & eo finito eleuat oculos, &
 statim demittit, & iunctis manibus super Alta-
 re, inclinatus dicit Orationem Suscipe Sancta
 Trinitas, vt præscribitur à Rubrica.

2 Intelligitur sinistra Altaris, quæ est dextera Sacerdotis, vt alibi dictum est .

3 Post dictum *Orate fratres*, morulam ante populum facit; *Par. Crass. lib. 2.* Et probat *Bauldr. tit. 7. pag 249.* & conuersus ad Altare facit reuerentiam Cruci; nam licet è medio non discesserit, nihilominus humeros ad illam conuertit, quo magis est; ita ex regula generali superius lata ex *Bauldr.* Sed cum hoc nullus adhuc dixerit, meliori iudicio meum submitto.

4 Orationes secretæ dicuntur in medio sine *Oremus*, & in fine primæ Orationis Sacerdos ipsemet sibi respondet *Amen*, *Bauldr. loc. cit.*

Quantum fieri potest sola sinistra adhibeatur ad inueniendas Orationes, & alia dicenda in medio dextera interim posita super Altare, non in aere suspensa; Et si dexteram adhibere necesse sit, ita adhibeatur, vt manus ad inuicem non superponantur.

Rubrica VIII.

Perueno autem in fine conclusionis secretæ ad verba illa, Per omnia sæcula sæculorum exclusiue, Sacerdos stans in medio Altaris, depositisque super eo manibus hinc inde extensis, dicit conuenienti, & intelligibili voce *Præfationem*. Cùm dicit *Sursum corda* eleuat manus hinc inde extensas vsq; ad pectus, itaut palma vnius manus respiciat alteram. Cùm dicit *Gratias* agamus Domino, iungit manus. Cùm dicit *Deo nostro*, oculos eleuat, & statim caput inclinat. Responso *Dignum*, & iustum est, eleuatis, & extensis, vt
prius

prius
prian
Cùm
nibu
tur,
puls
git se
te ad

1 C
Grat
git; o
cit D

2
manu
te ped

3
uldr.
docca
Rubr
Rubr

Da

F In
lud a
uatis

Tit. 7. de Off. & alijs vsq; ad Can. 173
prius manibus, prosequitur Praefationem pro-
priam, vel communem, vt tempus requirit.
Cum dicit 2 Sanctus, iunctis ante pectus ma-
nibus, & inclinatus, voce mediocri prosequi-
tur, Ministro interim paruam campanulam
pulsante. Cum dicit Benedictus qui venit, eri-
git se, & signum 3 Crucis sibi producit à fron-
te ad pectus.

Nota.

1 CUM dicit *Sursum Corda*, manus eleuat
vsque ad pectus, non vltra; cum dicit
Gratias agamus Domino, altius eleuat, & iun-
git; oculus eleuans, & caput inclinans dum di-
cit *Deo nostro*. Bonamic. p. 2. ant. 21.

2 CUM dicit *Sanctus*, nec pectus percutit,
manus super Altare ponit, sed solum iungit an-
te pectus: *Bauldr. loc. cit. pag. 249.*

3 Post signum Crucis iungit manus, ex *Ba-
uldr. loc. cit.* licet *Bonamic. ibid.* contrarium
doceat probabilius, vt inuimus supra tit. 4.
Rubric. 3. num. 2.

Rubr. IX. X. & XI. sunt de Missa solemn.

TITVLVS VIII.

De Canone Missae vsq; ad Consecrationem.

Rubrica I.

FINITA Praefatione, vt supra, Celebrans
stans ante medium Altaris, versus ad il-
lud aliquantulum eleuat manus, oculisq; ele-
uatis ad Deum, et sine mora deuotè demissis,

ac manibus iunctis, 1 et super Altare positis, profundè inclinatus incipit Canonem secretò dicens: 2 Te igitur, etc. ut in Ord. Miss. Cùm dicit uti accepta habeas, & benedicas prius osculatur Altare in medio, deinde erigit se, et stat iunctis manibus ante pectus. Cùm dicit hæc ✠ dona. hæc ✠ munera, hæc sancta ✠ sacrificia, dextera manu signat ter super Hostiam, et Calicem. Deinde extensis manibus ante pectus, prosequitur: in primis quæ tibi offerimus, &c.

Nota.

1 **P**rima verba Canonis, *Te igitur*, profertenda sunt simul cum elevatione manuum, & oculorum; non enim debet dari gestus sine voce: ita docent *Bauldr. et Gauant. par. 2. tit. 8. rubr. 1* sed probabilius *Bonam. et Quart. p. 2. tit. 8. sect. 1. dub. 1.* contrarium sentiunt, quibus fauent verba Rubricæ, ex quibus etiam patet, quod post inuentum Canonem manus non sunt iungendæ antequam eleuentur: prior tamen opinio magis placet.

2 Manus iungit, & ponit super Altare, quod multi omittunt contra Rubric. & Altare osculatur postquam dixit: *Et petimus.*

Quomodo formandæ sint Cruces super Oblata dictum est supra *tit. 7. Rubric. 5. nu. 7.*

Rubrica II.

VBI dicit, vnà cum famulo tuo Papa nostro N. exprimit 1 nomen Pape: Sede autem vacante prædicta verba omittuntur; *vbi*

T
Vbi dicit
men 2
pi Ora
rius
exem
ctione
vbi ce
ba om
qui R
copus
pradi
gno se
celebr
Papa
cum r
præf
quitu

I
H
tione
Tant
2 N
lebrat
Rubric
offera
naus p
tium i
Dicec
ba, Et
quam
præf
cum a

Vbi dicit, & Antistite nostro N. specificatur nomen Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi Ordinarij in propria Diœcesi, & non alterius Superioris, etiamsi Celebrans sit omnino exemptus, vel sub alterius Episcopi iurisdictione. Si verò Episcopus ordinarius illius loci ubi celebratur sit vita functus, prædicta verba omittuntur, quæ etiam omittuntur ab ijs qui Romæ celebrant. Si Celebrans est 3 Episcopus, Archiepiscopus, vel Patriarcha, omissis prædictis verbis, eorum loco dicit; Et me indigno seruo tuo. Summus autem Pontifex cum celebrat, omissis verbis, vna cum famulo tuo Papa nostro N. & Antistite nostro N. dicit, vna cum me indigno Famulo tuo, quem gregi tuo præesse voluisti: & continuant omnes, ut sequitur; & omnibus orthodoxis, &c.

Nota.

HIC quoque ad nomen Papæ caput inclinatur, quia in Rubrica superiori de Oratione non est, addita limitationis particula *Tantum*: Bauldr. tit. 8. pag. 250.

2 Nominandus est Episcopus loci, in quo celebratur, non proprius Celebrantis, ut patet ex Rubrica; & ratio esse potest, quia cum Sacerdos offerat nomine totius Populi, mentiretur nominans proprium Prælatum, qui non est adstantium Episcopus, & in locis, quæ sunt nullius Diœcesis, nullus nominatur; & omittuntur verba, *Et Antistite nostro*: Bauldr. loc. cit. pag. 251. quamuis in Cæremon. Barnabit. lib. 1. c. 7. n. 12. præscribitur nominandus Episcopus vicinior cum aliqua iurisdictione.

3 Episcopi vbicumque celebrant, non orant

oro

pro Ordinario loci, sed pro seipſis, patet ex Rubrica, tanto magis Cardinales.

Rubrica III.

Cum dicit Memento Domine famulorum, &c. eleuans, & iungens manus vsq; ad faciem, vel pectus, sic iunctis manibus stat paulisper in quiete, demisso aliquantulum capite faciens 2 commemorationem viuorum Christi fidelium ad suam voluntatem, quorum nomina si vult, secreto commemoret, non tamen necesse est ea exprimere, sed mente tantum eorum memoriam habeat. Potest etiam Celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam proponere in animo omnes illos tam viuos, quam Defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit; & hoc loco generaliter vnico contextu ipsorum viuorum commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa.

Nota.

1 **D**um dicit, Memento, non teneat manus iunctas vsque ad oculos, sed ante pectus, vel vsque ad faciem, capite inclinato, non oculis eleuatis ad Crucem, nec iisdem clausis, sed in Hostiam defixis, *Bauld. loc. cit.* Polse autem in hoc primo Memento claudi oculos, docet *Bonamic. par. 2. num. 23.* & *Quart. par. 2. post tit. 13. pag. 399.* vbi de compendio Missa.

2 Commemoratio ad Memento debet esse in

T
breuis
in mo
oster.

Et r
Meme

pro ex
cificiu
DD. ap

Pote
tolerat

quast.
Suar C

19. late
menis

muni S
& pro

non au
quia il

rint, it
gratia

tione a
quia n

effectu
quam i

tem pr
qualig
Quart

sunt in
Infidel

Et r
haereti

heretic
quotar
sponde
legent

breuis, sed non debet fieri, inquit Gauantus, in momento; sufficit spatium vnus Pater noster.

Et nota, quod huiusmodi Oratio, quæ sit in Memento, est priuata, & ideò orari potest etiam pro excommunicatis vitandis; licet pro ipsis sacrificium offerri nequeat; docent communiter DD. apud *Quart. p. 2. tit. 8. sect. 2. dub. 2.*

Potest tamen offerri pro excommunicatis toleratis, vt plures referens docet *Pasqualig. quest. 146.* qui *quest. 151.* cum *Bellarmin. Suar. Coninch.* vtroque *Lugo*, & alijs vsque ad 19. latè probat offerri posse etiam pro Cathecumenis, & *quest. 140. & 142.* docet cum communi Sacrificium offerri posse pro infantibus, & pro peccatoribus tanquam impetratorium, non autem tanquam satisfactorium; ratio est, quia illi non indigent, cum nondum peccauerint, isti non sunt capaces cum non sint in statu gratiæ; vbi etiam negat posse offerri cum relatione ad tempus, quando erunt in statu gratiæ, quia non est in potestate Sacerdotis suspendere effectum Sacrificij. Poterit etiam offerri tanquam impetratorium pro Infidelibus, non autem pro Hæreticis, & Schismaticis, docet *Pasqualig. quest. 150.* contrarium tamen sentit *Quart. loc. cit. dub. 3.* & meritò, quia qui nati sunt in Hæresi, & Apostasia habentur tanquam Infideles.

Et ratio *Pasqualig.* non conuincit, dicit enim hæreticum esse vitandum ex eo, quod omnes hæretici sunt excommunicati, & vt tales publicè quotannis denuntiantur in Bulla Cœnæ: sed respondeo, etiam fautores hæreticorum, & legentes eorum libros esse excommunicatos,

&

& vt tales quotannis in eadem Bulla denunciari, & tamen nullus diceret huiusmodi esse vitandos; nam ad hoc, vt quis vitetur, debet non solum publicè, sed etiam nominatim denunciari, vt docent communiter DD. vnde bene inferunt *Busemb. in medull. Theolog. lib. 7. de censuris, cap. 2. dub. 1. num. 3.* quod si Petrus, & alij cum ipso committerent aliquod delictum, cui adnexa est excommunicatio, & vt tales denunciarentur sub hac forma. Declaramus excommunicatum Petrum, verbi gratia, incendiarum, & alios complices delicti, solus Petrus esset vitandus, non autem eius socij, licet notorij, quia sententia quoad illos est tantum generalis, & non specialis contra certam personam; ita ratiocinandum in casu nostro.

Hic aduerte, quod applicatio Sacrificij fieri debet ante Missam; sed si quis ante Missam non determinasset, cui vellet applicare, posset huc applicare, cum sufficiat si applicetur ante Consecrationem; imò aliqui docent posse applicari post Consecrationem vnus tantum speciei, alij post Consecrationem vtriusque, alij denique sufficere si applicetur ante consumptionem, vide *Pasqualig. quest. 163. Quart. in Append. de Sacrif. quest. 2. punct. 11. Tambur. Meth. Miss. lib. 2. cap. 2. §. 10.* Sed notandum est cum *Pasqualig. loc. cit.* per applicationem factam post vtramque consecrationem non satisfieri obligationi iustitiæ; & ratio est, quia obligatio certæ satisfieri non potest per applicationem solum probabilem.

Ex dictis constat, quod si quis perficeret Sacrificium alterius Sacerdotis deficientis in Missa post consecrationem alterius tantum speciei, pos-

T
posse
retur
Suav
lig. 1
tiant

Co
tione
nem,
non p
Co
quam
fam, e
modo

Co
plicat
mo, ne
bur. l
dubia
cium
ternu
puè fa
plicar

Co
neat,
ter sta
cit les
clusio
nus. C
Simul
za ver
quas

posset, cui mallet, fructum applicare, nec teneretur conformare se priori applicationi, ita *Suarez. Hurtad. & alij* apud eundem *Pasqualig. quest. 165.* licet aliqui contrarium sentiant.

Constat etiam, quod si quis ante consecrationem vtriusque speciei reuocaret intentionem, & alteri sacrificium applicaret; secundo, non primò sacrificium prodesset.

Constat iterum applicationem esse validam, quamuis facta esset multo tempore ante Missam, etiam ante Sacerdotium susceptum, dummodo non esset reuocata, *Tambur. loc. cit.*

Constat adhuc, quod si quis oblitus se applicasse Sacrificium vni, alteri applicaret, primo, non secundo prodesset probabilius: *Tambur. loc. cit. §. 11.* quia verò res est admodum dubia, posset sequenti die applicare Sacrificium cum hac intentione, *Applico illi, cui externum Sacrificium non profuit; quod præcipuè facere teneretur, si vni eorum deberet applicare ex Iustitia.*

Rubrica IV.

Commemoratione Diuorum facta demissis, et extensis manibus, vt prius, contineat. Et omnium Circumstantium, &c. Similiter stans prosequitur, Communicantes. Cū dicit Iesu Christi, caput Crucis inclinat. In conclusione quando dicit Per eundem, iungit manus. Cum dicit Hanc igitur, expandit manus. Simul 2 super Oblata, itaut palme sint aperta versus, ac supra Calicem, et Hostiam, quas sic tenet vsque ad illa verba, Per Christum

stum Dominum nostrum: tunc enim 3 iungit manus, et sic prosequitur Quam oblato nem tu Deus in omnibus quæsumus. Cùm dicit benedictam, adscribitam, ratam, communiter signat ter super Hostiam, et Calicem simul: deinde cum dicit, ut nobis Corpus preparatum signat semel super Hostiam tantum; Et cùm dicit, & sanguis semel super Calicem tantum. Deinde eleuans, ac iungens manus, prosequitur, fiat dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi, & inclinans caput Cruciat extergit, si opus fuerit, pollices, & indices super Corporale, & dicit secretò, ut prius, Quæ pridie quam pateretur, & 5 accipiens pollicem, ac indice dextra manus Hostiam, & eam cum illis, ac pollice, & indice sinistra manus tenens, stans erectus ante medium Altaris, dicit, accepit Panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, eleuansque ad Deum oculos, & statim demittens, dicit, & eleuatis oculis in Cælum ad te Deum Patrem suum Omnipotentem, caputque aliquantulum inclinans, dicit, tibi gratias agens, et tenens Hostiam inter pollicem, et indicem sinistra manus, dextera producit signum Crucis super eam, dicens, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis, dicens, accipite, & manducate ex hoc omnes.

Nota.

1 **I**nclinat caput etiam ad nomen *Mariæ*, nec erigit se, sed paulatim profundius inclinatur, donec nominauerit nomen *Iesu*.

2 Tenet manus apertas, & expansas super Oblata, ita ut extremitates digitorum perueniant

T
niant
gant
modu
nial
positi
Misce
3
strum
& retr
4
dio C
confer
est dec
5
oran
cilè de
ties H
etas,
etiam
porali
tamen
eratio
6
indices
iuncti
Bonam

SI ad
qu
ra Cal
Cùm a
tis sup
nato,

manus ad medium Pallæ, non tamen illam tangant: pollice dextro adhuc super sinistrum in modum Crucis: ita *Alcozer. in suo Ceremonial. & pollicibus item supra, non infra manus positus, ita Bauldr Quart. & Dian. p. 3. tract. 6. Miscell. ref. 104.*

3 Cum dicit *Per Christum Dominum nostrum*, manus non disiungit, sed solum claudit, & retrahit ante pectus.

4 Non placet, ut digiti extergantur in medio Corporalis, ubi poltea ponenda est Hostia consecrata, sed in extremitatibus ipsius, quod est decentius.

5 Dum dicit, *accepit panem*, indice sinistro oram Hostiæ aliquantulum premit, ut eam facile dextera capere valeat, (idem obseruat quoties Hostiam sumere debet.) Cum dicit *in Sanctas, ac venerabiles manus suas*, eam accipit etiam sinistra, eamq; paululū eleuatam, à Corporali erectam; non quasi iacentem tenet, ita tamen ut à populo non videatur; ne ante consecrationem adoretur; *Bauldr. tit. 8. pag. 252.*

6 Dum sic tenetur Hostia inter pollices, & indices, reliqui digiti tenentur extensi, & simul iuncti, ut patet ex Rubrica sequenti, & docet *Bonamic. p. 2. num. 28.*

Rubrica V.

SI adsit vas cum Hostijs consecrandis, antequam accipiat Hostiam discooperit dextera Calicem, seu 1 vas aliarum Hostiarum. Cum autem finierit supradicta verba 2 cubitis super Altare positus; stans capite 3 inclinato, distinctè, reuerenter, et secreto 1 pro-

fert verba consecrationis super Hostiam, & simul super omnes, si plures sint consecranda, & Hostiam suam pollicibus, & indicibus tantum tenens, dicit, Hoc est enim corpus meum. Quibus prolatis Celebrans tenens Hostiam inter pollices, & indices predictos super Altare, reliquis digitis manuum extensis, & simul iunctis, (& Hostijs, si plures sint consecrata in loco, in quo à principio posita erant super Corporale, vel in alio vase, aut Calice & dimissis) genuflexus eam 6 adorat. Tunc erigens, quantum commodè potest 7 eleuat in altum Hostiam, & intentis in eam oculis (quod & in elevatione Calicis facit) populo reuerenter ostendit adorandam, & mox sinistra manu 8 dextera reuerenter ipsam reponit super Corporale in eodem loco, unde eam leuauit, & deinceps pollices, & indices non diiungit, nisi quando Hostiam consecratam tangere, aut tractare debet usque ad Ablutionem digitorum post Communionem.

Nota.

1 SI Pixis sit retro post Calicem antequam scapiat Hostiam, retrahat illam ad latus ipsius Calicis versus partem Epistolæ, vt proprius verba consecrationis proferat etiam super eam, *Bauldr. loc. cit. pag. 253.*

2 Cubitis super Altare positus, manibus vero Corporale non tangentibus ob decentiam, cum ibi poni debeat Hostia consecrata.

3 In vtraque consecratione inclinatur se, & non tantum caput, licet à Rubrica præcipiatur sola capitis inclinatio; *Bauldr. loc. cit.*

Ti
4 D
Sacerd
loc. cit
Pro
afflet,
vel Ca
tat, n
figuer
tem p
neque
ferat,
mora
ferat,
des fu
nistru
aut re
Qu
vtatur
nem,
ca cap
digito
Corpo
5
in pr
depo
centu
6
tra A
per C
taris,
pag. 2
Ge
tione
maio
doce

4 De consecratione, & eleuatione hæc à Sacerdote seruanda sunt ex eodem *Bauldr. loc. cit.*

Proferens verba consecrationis, caueat ne afflet, nec barba, vel ore contingat Hostiam, vel Calicem; neque in eundem barbam immitat, neque moueat caput ad singula verba, nec signet cum eo Hostiam, neque eam, aut Calicem post vtriusque consecrationem osculetur, neque verba magno conatu, & aspiratione proferat, sed vnico contextu, & nulla interposita mora inter singula verba, eaque ita secretò proferat, vt à nemine audiatur; pares retineat pedes super suppedaneum Altaris dextro vltra sinistrum, reuerentiæ causa nullatenus remoto, aut reflexo.

Qui vititur conspicijs, ijs, si fieri potest non vtatur à Consecratione vsque ad Communionem, & si cogatur ijs vri, & retinere, interdum ea capiat, & teneat inter indicem, & medium digitos. *Idem. tit. 5. pag. 240.* & nunquam super Corporale illa deponat.

5 *Dimissis*, idest, ibidem vbi positæ fuerant in principio consecrationis relictis; non enim deponenda est Hostia, vt post Calicem collocentur.

6 Adorat Hostiam vnico genu, cubitis extra Altare, & manibus tenentibus Hostiam super Corporale positis prope extremitatem Altaris, vt commodiùs genuflectat; *Idem. tit. 8. pag. 253.*

Genuflexio, quæ fit post vtramq; consecrationem, & ante vtramque sumptionem, fit cum maiori reuerentia, idest cum aliqua mora, vt docet idem *Bauldr. p. 3. cap. 5. nu. 12. pag. 215.*

7 Hostiam ita eleuat, vt videri, & adorari possit ab omnibus, nec diu eleuatam illam tenet, & in eleuatione digitos extensos iungit, sicut & imas partes manuum, vt solidius, & degentius eam eleuet.

Tam Hostiam, quam Calicem eleuat perpendiculariter, hoc est recta linea, non supra caput, nec Hostiam supra Calicem, nec Calicem super Hostiam, nec nimis tentè, nec nimis properanter; *Bauldr. tit. 8. pag. 254.*

Hostia deponitur sola manu dextera post eleuationem (idem dici potest de Calice) sinistra posita super Corporale, quando Hostia, & Calix sunt propè planum Altaris: non tamen placet, quod docet *Bonam. p. 2. n. 28.* Hostiam antequam amoueat sinistra, capiendam esse dextera versus medium, vt facilius deponatur: cum commodè deponatur etiam sine huiusmodi manus mutatione, quæ ideò videtur superflua.

Hic aduerte; quod si post consecrationem reperias in manu duas Hostias, & vnam tantum putabas, ambæ sunt consecratae: Si verò aduertisti ante Consecrationem, & intendisti vnam tantummodo consecrare, vtram non determinans, neutra erit consecrata, ita communiter DD. & videti potest *Quart. p. 3. tit. 7. dub. 7.*

Nota insuper, quod si Sacerdos Pixidem aperire non aduertat, Particulari in ea clausæ remanent nihilominus consecratae, sunt enim adhuc præsentis, & de ijs verificatur pronomen *Hoc*: nec refert, quod tunc Sacerdos actu non intendat illas consecrare; sufficit enim, quod intentio præcesserit; quæ cum non fuerit reuocata, virtualiter durat. Si verò Pixidis insuper

per esset extra Aram, & Corporale, verbi gratia, in cornu Epistolæ, probabilius est, tunc non remanere consecratas, quia Sacerdos non præsumitur velle consecrationem facere modo indubito, & contrarium grauem Ecclesiæ: ita docet *Quart. loc. infr. cit.* sed cum contraria opinio sit valde probabilis, consecrandæ essent in alia Missa non absolutè, sed sub conditione.

Multo magis si fuissent appositæ Particulæ consecrandæ in scio Sacerdote, tunc enim cum nulla intentio præcessisset, & voluntas non feratur in incognitum, certum est, quod non essent ex defectu intentionis consecratæ: & idem dicendum si essent post parietem, aut à tergo Celebrantis, aut clausæ in Tabernaculo, tunc enim moraliter censentur abesse; ita DD. communiter.

Particulas verò, quæ latent sub Corporali, & Mappa, vel in Missali docet ex *Suar. Henric. & alijs, Bonac. tom. 1. de Euchar. disp. 4. quæst. 2. punct. 6.* posse valide consecrari: contrarium tamen sentit cum alijs *Laym. lib. 5. tract. 4. cap. 2. num. 10.*

Sed cum vtraq; opinio suos habeat defensores, remanet dubium, an verè sint consecratæ: & ideò qui eas sic latentes data opera consecraret, peccaret mortaliter, vt aduertit *Busemb. lib. 6. tr. 3. cap. 1. dub. 5.* neque essent dispensandæ, si enim prima opinio non esset vera; fraudarentur fideles fructu Sacramenti, & exponerentur periculo materialis Idololatriæ.

Igitur essent sub conditione in alia Missa consecrandæ, vel potius post sumptionem sanguinis ab ipsomet Sacerdotæ sumendæ: Sicut de ijs, quæ reperiuntur extra Corporale

docet *Quart p. 3. tit. 7. dub. 8. in fin.*

Secus dicendum, si essent Corporali, vel alio panno inuoluta; tunc enim remanerent consecrata, sicuti remanent consecratae, quae sunt clausae in Pixide, ut supra dictum est, quia Corporale, seu alius pannus haberet se tanquam continens,

Rubrica VI.

Reposita Hostia consecrata super Corporale, genuflexus ipsam veneratur; Si adsit vas aliarum Hostiarum Patena, vel Palla cooperit, ut supra. Interim dum Celebrans eleuat Hostiam, accenso prius in torticio (quod non extinguitur, nisi postquam Sacerdos Sanguinem sumpserit, vel alios communicauerit, si qui sint communicandi in Missa) Minister manu sinistra eleuat simbrias posteriores Planetae, ne ipsum Celebrantem impediatur in eleuatione brachiorum, quod & facit in eleuatione Calicis; & manu dextera pulsatur campanulam ter ad unamquamque eleuationem, vel continuatè, quo usque Sacerdos deponat Hostiam super Corporale, & similiter postmodum ad eleuationem Calicis,

Nota.

1 Post genuflexionem, antequam detegat Calicem cooperit Pixidem, & retro post Calicem suo loco reponit.

Hic non erit inutile repetere, quod dictum est *lib. 1. cap. 2. §. 4. num. 4.* non licere Pixidem cum Particulis consecratis claudere in Tabernacu-

pac
can
qui
Al
cijs
nio
Cel
geli
tur
Don
etia
mo
2. pa
num

C
opus
si al
stan
ccen
Cal
alig
nens
Cal
agen
sinif
ra si
difer
Cal
noda
posi
soni

maculo, vel alteri tradere ad Laicos communi-
candos, nisi post Communionem Sacerdotis;
quia, cum sint pars Sacrificij, debent retineri in
Altari vsque ad complementum ipsius Sacrifi-
cij; vide *loc. supra cit.* & quando post Commu-
nionem ab alio Sacerdote alio transferuntur,
Celebrans interim retrahens se ad cornu Euan-
gelij ibidem genuflexus adorat; quod deduci-
tur ex ijs, quæ docet *Bauldr. de ser. 5. in Cœna
Domini, p. 4. cap. 10. num. 8. pag. 402.* & hoc
etiam in similibus casibus seruandum est, vt
monet etiam *Corset. in Prax. Sacr. Rit. tract.
2. par. 2. post cap. 4. vbi de ord. consic. Euchar.
num. 8. pag. 305.*

Rubrica VII.

Celebrans adorato Sacramento surgit,
& discooperit 1 Calicem, in quem si
opus sit 2 extergit digitos, quod semper faciat,
si aliquod fragmentum digitis adhæreat, &
stans erectus dicit, Simili modo postquam
cœnatum est, & ambabus manibus accipiens
Calicem 3 iuxta nodum infra cuppam, et
aliquantulum illum eleuans, ac statim depo-
nens, dicit, accipiens & hunc præclarum
Calicem, &c. Cùm dicit, item tibi gratias
agens, caput inclinat. Cùm dicit benedixit,
sinistra Calicem infra cuppam tenens, dexte-
ra signat super eum, et prosequens deditque
discipulis suis, &c. ambabus manibus 4 tenet
Calicem, videlicet sinistra pedem, dextera
nodum infra cuppam, cubitis super Altare
positis, et capite inclinato profert attentè,
continuatè, et secretò, vt supra, verba conse-

erationis Sanguinis: Hic est enim Calix, &c. Quibus dictis reponit Calicem super Corporale, & dicens secretò 5 Hæc quotiescumque feceritis, &c. genuflectus Sanguinem reuerenter adorat. Tunc se erigit, & accipiens Calicem discoopertum cum Sanguine, ambabus manibus, vt prius, eleuat eum, et erectum quantum commodè potest, ostendit Populo adorandum; mox ipsum reuerenter reponit super Corporale in locum pristinum, et manu dextera Palla cooperit, ac genuflectus Sacramentum Veneratur.

Nota.

1 Quando detegit Calicem, Pallam capit digitis indice, & medio, & ipsius extremum admouet velo Calicis, vt facilius eam capere possit; *Bonamic. p. 2. num. 9.*

2 Dum digiti exterguntur supra Calicem, ad labrum ipsius non fricantur; *Bonamic. loc. cit. num. 30.*

3 Sinistra infra nodum, dextera ipsum nodum tenente, nec eleuatur à Corporali ultra quatuor digitos, vt in simili docet *Bauldr. tit. 9. pag. 257.*

4 Calicem tenet aliquantulum eleuatum, dum profert verba Consecrationis, tribus ultimis digitis sinistrae manus pedem Calicis regentibus, & dextera nodum tenente, & cubitis super Altare positis.

5 Hæc quotiescumque feceritis profert statim ac consecrauit, dum Calicem deponit, & genuflectit, non quando illum eleuat, vt bene aduertit *Bauldr. tit. 8. pag. 253.*

6 Hic tanquam in suo loco notandum est, guttas vini, quæ forte adhærent Calici extra Cuppam non remanere consecratas, quæ verò adhærent intra Cuppam; alij affirmant, alij verò negant, dicentes consecrari solum quicquid est in Calice per modum vnius continui.

Sed ad remouendum omne dubium consultum est, vt quilibet Sacerdos semel pro semper intendat nolle se consecrare, nisi totum illud vinum, quod est per modum vnius continui. Et talis videtur esse intentio Ecclesiæ, vt cum multis bene aduertit *Busemb. lib. 6. tract. 3. cap. 1. dub. 5. nu. 2. & Dian. p. 3. tract. 4. res. 32.* & idem dicendum ex eodem *Busemb. loc. cit. de fragmentis*, quæ Hostijs adhærent.

Ex dictis in duabus præcedentibus Rubricis patet, formam consecrationis Corporis esse hæc verba: *Hoc est enim Corpus meum*; Sanguinis verò: *Hic est enim Calix Sanguinis mei noui, et æterni Testamenti, etc.* circa quam formam aliqua notanda sunt.

I. In vtraque consecratione particula *enim* non est de essentia, quam omittere quale peccatum sit dictum est supra in *Miscellaneis num. 23.*

II. In consecratione Calicis probabilius est, esse de essentia Sacramenti sola verba, *Hic est Calix Sanguinis mei*, vel *Hic est Sanguis meus*, vt cum alijs probat *Leand. p. 2. tract. 7. disp. 9. quæst. 21.* Ratio conuincens est, quia etiam in Liturgijs Græcorum sequentia verba non leguntur, & *quæst. 24.* addit, quod si quis in consecratione Calicis diceret *Hic est Calix nouum testamentum in meo Sanguine* fieret Sacramentum; quia hanc formam verborum po-

nunt S. Lucas cap. 22. sui Euangelij, & D. Paulus 1. Corinth. 11. nihilominus, qui vteretur hac forma, sicuti qui alia verba superioris formæ omitteret, peccaret mortaliter.

III. Duplex variatio formæ potest contingere, *substantialis*, quæ mutat verba, & significationem verborum, & tunc non conficitur Sacramentum; & *accidentalis*, quæ mutat verba, sed non sensum, & tunc peccatur quidem, sed Sacramentum conficitur: ita DD. communiter, Ex qua regula resolue, esse validum Sacramentum; *Primò*, si dicatur *Hic est Corpus meum*, dummodo ly *Hic* accipiatur non adverbialiter, sed tanquam pronomen; *Diana p. 5. tract. 14. resol. 77.* *Secundò*, si dicatur *Hæc res*, siue *Hic cibus est Corpus meum*: *Tertio*, *Istud est Corpus meum*, non tamen si dicatur *Illud*; *Quartò*, *Hæc est caro mea*; quamvis enim vox *Caro* propriè non significet omnes partes Corporis heterogeneas, aliquando tamen accipitur pro toto homine: vnde dicitur Ioannis 1. *Et verbum Caro factum est*, & 6. *Caro mea verè est Cibus*: vide *Trullench. de Sacr. lib. 3. cap. 3. dub. 1. Bassaum V. Euchar. nu. 19. Leand. loc. cit. vbi quest. 9.* affirmat cum *Vasq. & Lug.* si Sacerdos in persona Christi dicat: *Ecce corpus meum*, fieri Sacramentum.

Idem dicendum, si mutetur, vel omittatur vltima littera in fine verborum, vt si dicas *Corpus meus, meum, meu me; es*, vel *es*, pro *est*; *Calis, Calibs*, pro *Calix*, quia ex intentione proferentis habent hæ voces eandem significationem, licet contineant errorem grammaticalem: ita ex DD. *supracitat.* quod probatur ex paritate rationis, nam etiam

in administratione Baptismi dicunt, valere Sacramentum, si dicatur *in nomine Patriæ, & Filii, & Spiritus Sancti*; vide *Dian. par. 2. tract. 17. ref. 14.* Qui tamen huiusmodi verbis uteretur, grauius peccaret, nisi paruitas materiæ excuset, vt quando vnica tantum litera mutatur. Hæc volui innuere, quia sæpè contingit in prolatione formæ dicere, præter intentionem, *es*, vel *est* pro *est*; *me*, vel *meu*, pro *meum*.

Et nota, quod docet cum alijs *Pasqualig. quest. 3 19.* non esse supplendum repetitione consecrationis, etiam defectum ex omissione verborum, quæ secundum aliquos sunt substantialia, & secundum alios non sunt, vbi hoc latè, & doctè probat, & *nu. 5* addit non licere in his casibus repetere formam sub conditione. Sed hoc verum puto quando opinio asserens esse substantialia parum, aut nihil probabilitatis haberet, nam si esset euidenter probabilis, omnino repetendam censeo formam sub conditione, propter periculum faciendi irritum Sacramentum; Ecclesia enim potest quidem supplere iurisdictionem in Ministro, non autem defectum materiæ, & formæ, quæ sunt de iure diuino; secus dicendum, si dubitem, an totam formam protulerim, an vinum fuerit acetum; tunc enim debeo præsumere integram formam pronunciasse, & materiam aptam fuisse, & prosequi; Ita DD. communiter.

Certum est, non fieri Sacramentum, si quis uteretur sequentibus verbis, *Hoc est Corpus Christi; Hoc sit, vel fiat Corpus meum: Hic panis, vel Hoc, quod est panis, est Corpus meum: Conficio Corpus meum; Hac est substantia mea; Hoc Corpus est meum; Meum est hoc*
Cor-

Corpus, & his similibus, cum hæc variatio sit substantialis, vt docent DD. communiter. Vide *Dian. p. 5. tract. 14. resol. 78.* vbi pro curiosis, & speculatiuis nonnulla adnotat circa duos modos loquendi vltimo loco positos.

Hic animaduerte, quod pronomen *Hoc* in forma consecrationis est quidem demonstratiuum, sed non demonstrat panem, cum panis non sit *Corpus Christi*, nisi in vltimo instanti prolationis formæ, neq; significat *Corpus*, quia sensus esset *hoc Corpus est Corpus meum*, & esset propositio identica: dicendum igitur est, quod ly *Hoc* ponitur indefinitè, & significat *Hoc contentum sub istis speciebus est Corpus meum*, idest *Christi*, non in fieri, sed in facto esse; ita *Gesuald. p. 1. tract. 9. de Euchar. tract. 3. c. 1. nu. 15.* & alij ferè communiter, quamuis contrarium sentiat *Filliuc. apud Trulench. loc. cit. dub. 3.* dicens pronomen *Hoc* referri ad *Corpus*, *Hic* ad Sanguinem, quod tanquam certum supponit *Villalob.* quem refert, & laudat idem *Trullenc. dub. cit.*

Aduerte insuper verba Consecrationis proferenda esse non solum recitatiuè, sed etiam significatiuè cum debita intentione saltem virtuali. Dixi *saltem virtuali*, quia intentio *habitualis*, seu *interpretatiua* non sufficit, *actualis* non est necessaria. *Virtualis* autem est illa, quæ, cum præcesserit *actualis*, virtute adhuc durat, cum nondum fuerit per contrariam voluntatem retractata, vel per longam temporis moram interrupta.

Sed notandum est, posse aliquando dari casum, quo quis dubitet, an habuerit intentionem *virtualem*, quando verè habuit *actualem*.

quæ

quæ, vt benè obseruat Ioseph Augustin. in sua breui notit. num. 13. de sacr. in genere duplex est *directa*, seu exercita: & *reflexa*, seu signata. Hoc innuit pro scrupulosis, qui nisi habeant intentionem reflexam, nullam se habere existimant, ad quorum consolationem libet hic addere verba *Granad. tract. 5. disp. 4. sect. 1.* vbi ad ostendendum, quam difficile sit carere debita intentione, sic ait; *Res quidem in praxi, ni fallor, nullius scrupuli est, rectè enim nonnulli dicunt, tunc censeari Ministrum habere intentionem virtualem, quando si interrogaretur, quo fine, aut quare proferat verba, & applicet materiam statim sine noua deliberatione responderet, se id facere, vt Sacramentum verum conficiat.*

Et *Reginald. apud Dian. par. 2. tract. 17. res. 32.* dicit, quod eo ipso, quod Sacerdos vult, secundum Sacerdotum consuetudinem induere vestes Sacerdotales, habet intentionem virtualem celebrandi Missam: quia, cum induere vestes Sacerdotales medium sit ab Ecclesia institutum ad Missæ celebrationem, fit, vt in tali actione induendi comprehendatur virtualiter actio celebrandi, & in intentione induendi intentio celebrandi.

Vtèrius procedunt alij dicentes, sufficere ad validitatem Sacramentorum intentionis actum semel elicatum, & nunquam retractatum. Imò *Henriq.* videtur concedere, sufficere intentionis actum semel habitum non solum explicitè, sed etiam confusè; ita in *summ. lib. 1. cap. 10. numer. 2.* vbi ait: *Intentio virtualis dicenda etiam est illa, quæ quamuis non videatur fluxisse ex efficaci vi, vel motino prima inten-*
tio-

tionis, aut quia licet nunquam habuit intentionem sic explicitam, Volo facere, quod Ecclesia Romana intendit, & quod Christus instituit: habuit tamen confusam, ut si quis Ordines Sacros suscipit, ut fiat Sacerdos, et Minister Ecclesiæ, et absque alia forma intentionis, (si nunquam habuit contrariam) consuevit celebrare, et ministrare Sacramenta, etiam cum distractione mentis, hic enim conficit Eucharistiam, et alia Sacramenta.

Has omnes opiniones refert D. Gabriel Albertius Magister meus I. V. D. Proth. Apost. in Metropolitana Florentina curam animarum agens, & in Collegio Eugenio Sacræ moralis doctrinæ Lector in suis manuscript. de Sacrament. in genere, cap. 6. de Ministro, quest. 8. ubi quamvis opinionem Henriquez nimis laxam appellet, dicit tamen licere aliquando eam sequi ad sedandos scrupulos oriri solitos post factum circa validitatem Sacramentorum ex defectu intentionis; & concludit cum Laym. de Sacr. in com. cap. 5. num. 12. in fine, vix posse contingere casum, ut aliquis rationis compos, & vigilans administret aliquod Sacramentum, & non habeat intentionem saltem virtualementem, & sufficientem.

T I T V L V S IX.

De Canone post Consecrationem usque ad Orationem Dominicam.

Rubrica I.

Reposito Calice, et adorato Sacramento, Sacerdos stans ante Altare, extensis
ma-

manib
memo
2 iung
stiam
stiam
intra
ter sic
Hostia
rum d
Calice
prius,
quæ p
gamu
nibus
hac A
manib
Cum
manib
stiam
stra su
& San
omni
fronte
& pro
Per Ch

I
C
nem
Quar
quæ f
dum C
nario;

manibus ante pectus, dicit secreto 1 Vnde & memores, &c. Cum dicit de tuis donis ac datis 2 iungit manus ante pectus; & cum dicit Hostiam ✠ puram, Hostiam ✠ sanctam, Hostiam ✠ immaculatam, manu sinistra posita intra Corporale, dextera signat ter communiter super Hostiam, & Calicem, & semel super Hostiam tantum, & semel super Calicem tantum dicens; Panem ✠ sanctum vitæ æternæ, & Calicem ✠ salutis perpetuæ. Deinde stans, ut prius, extensis manibus, prosequitur, Supra quæ propitius, &c. Cum dicit Supplices te rogamus, inclinatur se ante medium Altaris, manibus iunctis super illo positus. Cum dicit ex hac Altaris participatione, osculatur Altare manibus hinc inde super Corporale positus. Cum dicit Sacrosanctum Filij tui, &c. iungit manus, & dextera signans semel super Hostiam tantum, & semel super Calicem, sinistra super Corporale posita, dicit Corpus, ✠ & Sanguinem ✠ sumpserimus; & cum dicit omni benedictione cœlesti, seipsum signat à fronte ad pectus 3 sinistra infra pectus posita, & prosequitur, & gratia repleamur, Cum dicit Per Christum, iungit manus,

Nota.

1 **O** Ratio Vnde & memores, non est inchoanda, nisi post factam genuflexionem, ut constat ex ipsa Rubrica, & monet Quart. p. 2. tit. 9. pag. 326. & extensio manuum, quæ fit ad dictam Orationem, non fiat in modum Crucis more multorum, sed modo ordinario; Bauldr. sit. 9. pag. 256,

2. Manuum iunctio post consecrationem non fit pollice dextro super sinistrum posito; sed iunctis pollicibus, & indicibus inter se, & quando Sacerdos se inclinatur, non tenent manus totas super Corporale, sed paruis digitis frontem Altaris tangentibus, vt alibi dictum est, & docet *Bauldr. loc. cit.*

3. Videat ne pollex, & index tangant Placentam.

Rubrica II.

CVM dicit Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, &c. *i* extensis & iunctis manibus ante pectus, & vsque ad faciem eleuatis, & intentis oculis ad Sacramentum super Altare facit commemorationem Fidelium Defunctorum, de quibus sibi videtur, eodem modo; vt dictum est de commemoratione Viuorum. Qua commemoratione facta, stans, vt prius, extensis manibus, profectur, ipsis Domine, & omnibus in Christo, &c. & in fine ad Per eundem, iungit manus, & caput inclinatur.

Nota.

1. **M**ANUS tam lentè extendat, & eleuet, vt eas iungat post illa verba, *in somno pacis*; *Bauldr. loc. cit. pag. 256.* oculos non claudit, sed in Hostiam defigit, & cetera obseruat, quæ ex eodem *Bauldr.* dicta sunt supra tit. 3. Rubr. 3. num. 1.

2. Caput inclinatur non ad *Nobis quoque peccatoribus*; sed ad verba *Per Christum Dominum nostrum*, quod est singulare in tota Missa;

Ga.

Gauant. p. 2. tit. 9. lit. D. & alij communiter
ex clara Rubrica, deinde statim se erigit.

Rubrica III.

CVM dicit nobis quoque peccatoribus, vo-
cem aliquantulum eleuans 1 dextera
manu pectus sibi percutit, sinistra posita super
Corporale, & prosequitur secreto famulis tuis,
&c. stans manibus extensis, ut prius. CUM dicit
Per Christum Dominum nostrum. Per quem
hæc omnia Domine semper bona creas, &c.
iungit manus ante pectus, deinde manu dexte-
ra ter signans communiter super Hostiam, &
Calicem, dicit Sancti Ifficas, viui Ifficas, bene-
Ifficis, & præstas nobis. Postea discooperit
manu dextra Calicem, & genuflexus Sacra-
mentum adorat. Tum se erigit, & reuerenter
accipit Hostiam 2 inter pollicem, & indicem
dextra manus, & cum super Calicem, quem
manu sinistra tenet circa nodum infra cup-
pam, signat ter à labio ad labium, dicens; Per
I ipsum, & cum I ipso, & in I ipso, et simili-
ter cum Hostia signat bis inter Calicem, et pe-
ctus, incipiens à labio Calicis, et dicit, est tibi
Deo Patri I Omnipotenti in vnitate Spiritus
I sancti. Deinde tenens manu dextra Ho-
stiam super Calicem sinistra Calicem, 3 ele-
uat eum aliquantulum simul cum Hostia, di-
cens: omnis honor, & gloria, & statim virumq;
deponens Hostiam collocat super Corporale, &
si opus sit, digitos extergit, ut supra, & polli-
ces, & indices, ut prius iungens, Calicem
Palla cooperis, & genuflexus Sacramentum
adorat.

No-

Nota.

1 **P**ercussio pectoris post Consecrationem fit solum tribus digitis inferioribus, & videndum ne pollex, & index tangant Plane, tam *Bauidr. tit. 9. pag. 257.*

2 Hostiam capit non omnino à parte inferiori, sed aliquantulum infra medium dextræ partis; & videat ne tangat labia Calicis, & cum signat inter Calicem, & pectus, superior pars Hostiæ non excedat Calicis altitudinem, & tunc brachium sinistrum parum incuruet, ne super ipsum Hostiam pertransire faciat; Idem *los cit.*

3 Calicem eleuat non vltra quatuor digitos, vt supra dictum est.

Rubrica IV. est de Missa solemni.

TITVLVS X.

De Oratione Dominica vsque ad Communionem.

Rubrica I.

Celebrans cooperto Calice, adoratoque Sacramento erigit se, et manibus extensis hinc inde super Altare intra Corporale positus, dicit intelligibili voce, Per omnia sæcula sæculorum. Et cum dicit *Oremus*, iungit manus caput Sacramento inclinans. Cum incipit *Pater noster*, extendit manus, et stans oculis ad Sacramentum intentis prosequitur vsque ad finem. Responso à Ministro Sed libe-

Tit. 10. De Or. Dom. vsq; ad Comm. 199
ranos à malo, et à Celebrante submissa voce
Amen, manu dextra, pollice, et indice non di-
sunctis, 2 Patenam aliquantulum 3 Purifica-
torio extergens, eam accipit inter indicem, et
medium digitos, quam tenens super Altare
erectam, sinistra super Corporale posita, dicit
secretò; Libera nos quæsumus, &c.

Note.

1 CVM dicit *Oremus*, caput inclinat, sed
statim illud erigit. *Gauant. p. 2. tit. 10.*
lit. P. Pucinell. pag. 162.

2 Non extrahat Patenam, quæ est subtus
Corporale, quin prius dixerit *Amen*, *Bauld. tit.*
10. Rubr. 1. quæ extrahitur medio digito eius
concauo applicato, & accipiat Purificatorium
per extremitatem illius, quæ est versus Cande-
labra Altaris: Idem *loc. cit. Rubr. 2.*

Sinistra non est adhibenda ad extergendam
Patenam, quam postea tenet inter indicem, &
medium digitos eleuatam, non iacentem: ita
tamen, vt tangat mappam Altaris extra Corpo-
rale, & manus tenens Patenam non adhæreat
mappæ, sed sit eleuata desuper Patenam; *Baul-*
dr. loc. cit.

Si opus sit adhibere sinistram ad capiendam
Patenam super Hostiam non transferatur.

3 Purificatorium post extersam Patenam re-
linquitur ibi à cornu Epistolæ al quantulum re-
mouum à Corporali, ita vt inter ipsum, & Cor-
porale collocari possit Calix post ablutionem
digitorum, vt infra dicetur.

Rubrica II.

Antequam Celebrans dicat, da propitius pacem, eleuat manu dextra Patenam de Altare, & seipsum cum ea 1 signat à fronte ad pectus dicens, da propitius pacem in diebus nostris. Cùm signat se, manum 2 sinistram ponit infra pectus; deinde Patenam ipsam osculatur, & prosequens vt ope misericordie tuæ, &c. submittit 3 Patenam Hostiæ, quam indice sinistro accommodat 4 super Patenam, discooperit Calicem, & genuflexus Sacramentum adorat; tunc se erigens accipit Hostiam inter pollicem, & indicem dextra manus, & cum illis, ac pollice, & indice sinistri manus eam super Calicem 5 tenent, reuenter frangit, per medium, dicens; Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum Filium tuum, & mediam partem, quam inter pollicem, & indicem dextra manus tenet, ponit super Patenam, de alia media, quam sinistra manu tenet, frangit cum pollice, & indice dextra manus 6 particulam, prosequens, Qui tecum viuit, & regnat, &c. & eam inter ipsos dextra manus pollicem, et indicem retinens, partem maiorem, quam sinistra tenet, adiungit 7 media super Patenam posita, interim dicens in unitate spiritus Sancti Deus, et particulam Hostiæ, quam in dextra manu retinuit, tenent super Calicem, quem sinistra per nodum infra Cuppam retinet, intelligibili voce dicit; Per omnia sæcula sæculorum. R. Amen; et Cum ipsa particula signans ter à labio ad labium Calicis, dicit, Pax ✠ Domini sit ✠ semper

Tit
vobis
spiritu
inet
Hæc
deind
quant
cooper
surgit
capite
intell
mund
super
deind
sibi pe
quod e
bis pac

1 S
da pro
superi
iterum
2 I
ne pol
ueat, u
post r
3 I
eius pa
cis; Bo
dius ca
per Co
4 I
extra

vobis. **I**cum. Responso per Ministrum, Et cum spiritu tuo, particulam, quam dextra manu tenet, immittit in Calicem, dicens secreto: Hæc commixtio, & consecratio Corporis, &c. deinde pollices, et indices super Calicem aliquantulum tergat, et iungit Calicem Palla cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat, surgit, et stans iunctis manibus 9 ante pectus, capite inclinato versus Sacramentum, dicit intelligibili voce Agnus Dei qui tollis peccata mundi, et dextra percutiens sibi pectus sinistra super Corporale posita, dicit Miserere nobis, et deinde non iungit manus, sed iterum percutit sibi pectus, cum dicit secundo Miserere nobis, quod et tertio facit, cum dicit 10 Dona nobis pacem.

Nota.

1 **S**ignare se debet Sacerdos, cum dicit cum beatis Apostolis tuis, etc. ita ut dicens, da propitius pacem, Patenam osculetur in parte superiori, & interiori, nec post osculum eam iterum abstergat; Baul dr. tit. 10 pag. 259.

2 Dum tenet sinistram infra pectus, videat ne pollex, & index tangant Planetam, idem caueat, dum dextra percutit pectus, Quart. par. 2. post tit. 13. pag. 400. vbi de Compend. Miss.

3 Patena ponitur in medio Corporalis, ita ut eius pars superior sit, eleuata super pedem Calicis; Bonamic p. 2. nu. 37. quod fit, & ut commodius capiatur, & ne fragmenta, si quæ essent super Corporali, eidem Patenæ adhæreant.

4 Hostiæ pars superior ponenda est paululū extra concavum Patenæ versus oram superiorē,

vt commodiùs accipi possit; *Bauldr. loc. cit.*

5 Sola dextra eleuat Hostiam supra Calicem & tunc adhibet & sinistram, & eam frangit, incipiens à parte superiori ipsius; *Idem loc. cit.*

6 Particula frangenda est à parte superiori, vt conijcitur ex *Durand lib. 4. cap. 5. n. 7.* & expressè docent *Petrus Ruiz, et Paris Crass. lib. 2. cap. 4. licet Quart. p. 2. tit. 10. sect. 1. dub. 1.* & ante ipsum *Gauant. p. 2. tit. 10.* quem refert *Bauldr. loc. cit.* contrarium doceant, afferentes pro se verba *Ordin. Romani*; ex quibus nisi *Gauantus* addat de suo, hoc nullatenus colligitur. Verba *Ordin.* sunt hæc. *Qui de ipsa Sancta, quam momorderat ponit Calicem, facien. Crucem ter, dicendo; Fiat commixtio: etc.* Præterea si frangatur à parte superiori, commodiùs tenebitur in manu ad *Domine non sum dignus*, & faciliùs seruabitur Figura orbicularis, quod monet *Bauldr.* mox citandus.

7 Non iungit partes Hostiæ, ita vt vna sit tota super aliam; sed illa, quæ est à sinistra Celebrantis sit tantillum super aliam, adeo vt semper ambæ efficiant figuram rotundam: *Bauldr. tit. 10. Rubr. 4. pag. 260.*

8 Digni non excutiantur super Calicem, nisi dicta tota Oratione, *Hæc commixtio, etc.* *Idem loc. cit. Rubr. p. 2. pag. 259.* & nunquam admoventur labio Calicis: *Bonamic. p. 2. n. 30.*

9 Vide, quod prius iungit manus ante pectus non tamen ponit super Altare, cum dicit *Agnus Dei.*

10 Romæ in Ecclesia Lateranensi, in tertio *Agnus Dei*, non dicitur *dona nobis pacem*; sed reperitur *Miserere nobis; Gauant. loc. cit. Rubr. 2. lit. C.*

T
tis,
Christi
i pac
strum
iuxta
sola
respon
huius
lebra
Missæ
ita pr
Orati

I
Præla

S
pe
eis rec
Dom
dicit
ne Ies
tui, &
flebet
dicit

Rubrica III.

TVnc manibus iunctis super Altare positus, oculisque ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit secreto, Domine Iesu Christe, qua Oratione finita, si daturus est i pacem, osculatur Altare in medio, & instrumentum pacis ei porrectum à Ministro iuxta cum ad dexteram, hoc est, in cornu Epistola genuflexo, & dicit Pax tecum, Minister respondet, Et cum Spiritu tuo. Si non adsit, qui huiusmodi instrumento pacem recipiat à Celebrante, pax non datur, etiamsi illius datio Missæ conveniat; nec osculatur Altare, sed dicta præmissa Oratione, statim subiungit alias Orationes, ut in Ordin. Miss.

Note.

QVando danda sit Pax, & quomodo dicetur infra tit. 14. vbi de Missa coram Prælati.

Rubrica VI.

SI vero celebret pro Defunctis, non percutit Spectus 1 ad Agnus Dei, quia dicit dona eis requiem, nec dicit primam Orationem Domine qui dixisti, &c. non dat pacem, sed dicit duas alias sequentes Orationes: Domine Iesu Christe, &c. & Perceptio Corporis tui, &c. Quibus Orationibus dictis 2 genuflexus Sacramentum adorat, & se erigens dicit, Panem cœlestem accipiam, &c. quo di-

Et, dextera manu accipit de Patena reuerenter ambas partes Hostia, & collat inter pollicem, et indicem sinistra manus, quibus Patenam inter indicem, et medium digitos supponit, et eadem manu sinistra tenens partes huiusmodi super 3 Patenam inter pectus, et Calicem, parum inclinatus dextera tribus vicibus percutit pectus suum, interim tribus vicibus dicens voce aliquantulum eleuata 4 Domine non sum dignus, et secreto prosequitur, ut intres, &c. Quibus tertio dictis ex sinistra accipit ambas partes predictas Hostia inter pollicem, et indicem dextra manus, et cum illa supra Patenam 5 signat seipsum signo Crucis: ita tamen ut Hostia non egrediatur limitum Patena, dicens: Corpus Domini nostri Iesu Christi, &c. et se inclinans, cubitis super Altare positus, reuerenter easdem ambas partes 6 sumit, quibus sumptis, deponit, 7 Patenam super Corporale, et erigens se iunctis pollicibus, et indicibus, ambas quoque manus ante faciem iungit, et aliquantulum quiescit in meditatione SS. Sacramenti. Deinde deponit is manibus, secreto dicit; Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Et interim discooperit Calicem, genua flectit, surgit, accipit 8 Patenam, inspicit Corporale, colligit fragmenta cum Patena, si qua sint in eo, Patenam quoque cum pollice, et indice dexterae manus super 9 Calicem, extergit et ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneant.

Nota.

1 IN Missis Defunctorum ad Agnus Dei stat inclinatus, manibus ante pectus iunctis, non

Ti
non ta
perio
2
xima
pag. 2
Qu
aliqu
confe
ption
quibu
sarna
3
tudine
4
nus g
brach
neque
à pop
intore
Baul
5 S
moue
nem i
cis su
tasse
Paten
Ca
vtra
gula
de Pr
manib
nulla
flexu
tur;
bus S

Tit. 10. De Or. Dom. usq; ad Comm. 205
non tamen super Altare positus, vt patet ex superior*Rubrica 2. nu. 9.*

2 Orationibus dictis, genuflectit cum maxima humilitate, & reuerentia; *Bauldr. tit. 10. pag. 260.*

Quatuor genuflexiones in tota Missa cum aliqua mora fiunt, duæ scilicet post vtramque consecrationem, & duæ ante vtramque sumptionem, ex dictis supra *tit. 8. rubr. 5. num. 6.* quibus adde illam, quæ fit cum dicitur *Et incarnatus est*, vt suo loco adnotauimus.

3 Sufficit, si Patena teneatur eleuata ad altitudinem nodi Calicis,

4 Dicens *Domine non sum dignus*, nullatenus genuflectat, nec pedem incuruet, neque brachium, aut cubitum super Altare sustineat, neque teneat Hostiam eleuatam ad latus, itaut à populo videatur, & adoretur, neque corpus intorqueat, sed parum inclinatus maneat; *Bauld. loc. cit. pag. 261.*

5 Se cum Hostia signat erectus, nec Patenam mouet dum se signat, quam post Communionem ita deponit, vt eius extremitas pede Calicis sustentetur; *Bonamic. p. 2. n. 41. et 42.* fortasse ne fragmenta, si qua sint super Corporale, Patenæ adhareant: vt alibi dictum est.

Caput non inclinatur ad nomen *Iesu*, ante vtramque sumptionem; quod deduco ex illa regula generali, quam docet *Bauldr. p. 2. cap. 16. de Procession. vbi num. 15.* dicit, habentem præ manibus Crucem (idem dic de aliqua reliquia) nullam facturum esse reuerentiam; neque genuflexurum, si dum transit, Sacramentum eleuetur; Tanto magis igitur, qui habet præ manibus Sanctissimum Sacramentum. Præterea esset

gestus incomptus caput inclinare eodem tempore, quo se signat cum Hostia, aut Calice, Nec obstat regula generalis præscripta à Rubrica, tit. 5. num. 1 ubi dicit, caput esse inclinandum, quoties nominatur nomen *Iesu*; nam hæc regula militat etiam quando Sanctissimæ Trinitatis expressa fit mentio, vt docet idem *Bauld. par. 2. cap. 4. nu. 2. pag. 130* & tamen initio Missæ dictum est, cum eodem *Bauldr.* Sacerdotem dicentem, cum se signat *In nomine Patris, & Filij, &c.* non debere caput inclinare.

6 Hostia non est vt alius cibus masticanda, sed anterioribus dentibus discretè, leniter, & moderatè tenenda, & lingua mollificanda, iuxta ea, quæ ex *Durand.* tradit *Quart. p. 2. tit. 10. sect. 1. dub. 4.* sed decentius est; si mollificata super linguam, intacta dentibus deglutatur: & si quid palato adhæreat lingua, non digito reuellat, quod si non possit, ne diutius immoretur, sanguinem sumat, & cum eo, vel cum purificatione traiciat; *Quart. loc. cit.*

Hic nota, Eucharistiam non conferre gratiam, quando immittitur in os, vt pluribus citatis docet *Dicastil. tract. 4. disput. 8. dub. 2. nu. 18.* ubi dicit, eum, qui retinet in ore Hostiam, ita vt species corrumpantur, non recipere fructum Sacramenti: & est communis; quamuis contrarium doceat *Becan. cap. 22. de Eucharist. quest. 6. num. 2.* Imò *Leand. p. 2. tract. 7. disp. 11. quest. 14.* sentit cum alijs, non conferre gratiam, quando deglutitur, aut per guttur transit, sed in vltimo instanti terminatiuo traiectionis specierum ad stomachum.

Probabile tamen est, quod si quis communicans in mortali eliceret actum contritionis, an-

re.

T
requ
stom
Sua
nac
7
nat,
8
rali,
ea pa
dexte
ctan
mou
colle
tum
in Ra
de m
9
eam

S
S
uand
in va
tit, ne
min
si fue
exter
dicib
cuppa
dicens
signa
ni no
suppo

re quam species Sacramentales corrumpantur in stomacho, gratiam reciperet, vt pluribus probat *Suar disp 63. sect. 7.* quamuis aliqui cum *Bonac.* contrarium sentiant.

7 Manus ante pectus iungit, & caput inclinat, sicuti ad vtrumque *Memento* dictum est.

8 Manu dextra fragmenta colligit à Corporali, deinde manu sinistra sumit Patenam non in ea parte, quæ collegit fragmenta, sed propè dexteram, & eleuatam super Calicem, non rectam, sed iacentem, ne fragmenta decidant, ad mouet ori Calicis eam partem, quæ fragmenta collegit, & pollice, & indice manu dextræ tantum fragmenta in Calicem demittit, vt habetur in *Rubric.* & superfluum est mutare Patenam de manu sinistra in dexteram.

9 Caueat, ne Patena Calicem pulset, neque eam super ipsum reuoluat; *Bonamic. p. 2. n. 42.*

Rubrica V.

SI verò 1 adsint Hostia consecrata super Corporale posita, pro alio tempore conseruanda, facta prius genuflexione reponit eas in vase ad hoc ordinato, & diligenter aduertit, ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum, remaneat super Corporale, quod si fuerit acuratè reponit in Calicem. Post extersionem Patene iunctis pollicibus, & indicibus, Calicem dextra manu 2 infra nodum cuppa accipit, & sinistra tenet 3 Patenam, dicens, Calicem salutaris accipiam, &c. & signans se cum Calice, dicit: Sanguis Domini nostri Iesu Christi, &c. & manu sinistra supponens Patenam Calici, stans reuerenter

sumit totum Sanguinem cum Particula in Calice posita. Quibus sumptis, dicit secreto 4 Quod ore sumplimus, &c. & super Altare porrigit Calicem Ministro in cornu Epistolæ, quo vinum fundente se 5 purificat. Deinde 6 vino, et aqua abluit pollices, et indices super Calicem, 7 quos abstergit Purificatorio interim dicens, Corpus tuum Domine, quod sumpsi, &c. ablutioem sumit, et extergit os, et Calicem Purificatorio: quo factò Purificatorium extendit super Calicem, et desuper 8 Patenam, ac super Patenam paruanam Pallam, et plicato Corporali quod reponit in Bursam, cooperit 9 Calicem Velo, et Bursam desuper ponit, et collocat in medio Altaris, ut in 10 principio Missæ.

Nota.

1 SI adsint hostiæ consecratæ super Corporale, ponat in suo vase ante sumptionem Sanguinis, idest antequam abstergatur Corporale cum Patena; si verò sint in Pixide, claudat in Tabernaculo sumpto Sanguine, & purificatione, antequam accedat ad cornu Epistolæ pro ablutioe digitorum, facta genuflexione, antequam aperiat Tabernaculum, & postquam in eo Pixidem collocauit, antequam illud claudat.

2 Tutius, & commodius erit ipsum nondum tenere, ut loquitur Rubrica supra tit. 7. Rubr. 5. & tit. 8. Rubr. 7. nam non apparet conuincens ratio, cur diuersimodè capiatur Calix nunc à supradictis casibus: quod etiam docet Paris Crassus de Cærem, Cardin. cap. 4.

vbi cum plures dixerit tenendum esse dexteram
nodum Calicis, cum loquitur de sumptione
Sanguinis dicit, *Et Calicem ipsum capiens, vt
supra; Idem sentit Gauant. loco mox citando.*

3 Patenam tenet sinistra posita super Cor-
porale, donec facto signo Crucis Calici supponat;
& sumpto Sanguine (quem licet *Gauant. p. 2. tit. 10. Rubr. 5. lit. V.* doceat posse Sacerdotem
ter de Calice fugere, Purificationem verò
bis; laudabiliùs tamen est Calicem ab ore non
remouere, vt docent *Par. Cras. & Castald.* quos
nonissimè sequitur *Quart. p. 2. tit. 10. sect. 1. dub. 6.*) sinistram cum Patena super Altare de-
ponit, donec à Ministro acceperit vinum in Calicem,
cui iterum Patenam supponit, vtumat Purificationem,
Bonamic p. 2. n. 43.

4 Oratio, *Quod ore sumpsimus*, videtur dicenda
ex Rubrica, antequàm porrigatur Calix ad accipiendum
vinum purificationis; ideò non sunt reprehendendi,
qui sumpto Sanguine, tum Calicem, tum Patenam
deponunt, manus tamen ab ijs non amouentes,
donec dixerint præfatam Orationem; hoc enim
proculdubio in reuerentiam sumpti Sanguinis
maximè cedit.

Et hæc opinio euidenter probatur ex eadem
Rubrica, quæ cùm dicat, *quibus sumpsitis*, dicit
secretò, *quod ore sumpsimus, &c.* & super Altare
porrigit Calicem, loquitur successiuè, non
coniunctim; quod ex hoc conuincitur, quia
quando vult aliquid fieri coniunctim vtitur
alijs terminis, vt sequitur paulo inferiùs, vbi
volens abstergeri digitos, & simul dici Orationem,
Corpus tuum Domine, &c. dicit, abstergit
digitos, dicens, *Corpus tuum, etc.*

Confirmatur ex Rubrica fer. 6. in Parasceue, quæ præscribit præfatam orationem, *quod ore, &c.* dicendam in medio Altaris iunctis manibus, & capite inclinato, non autem quando accipitur vinum pro ablutione digitorum.

Confirmatur insuper ex eo, quod seruandum præscribitur in prima, & secunda Missa Natiuitatis Domini, in quibus conueniunt *Basil. dr. & Gauant.* & omnes alij, orationem *quod ore, &c.* dicendam esse manibus iunctis, non tamen super Altare positis. Ad quid? Nonne dici posset, cum abluuntur digiti, & oratio *Corpus tuum, etc.* quando abstergantur, vt fit in alijs Missis? Sed cum contrarium præscribatur à Rubrica, & doceatur à Doctoribus, manifesto constat dicendam esse cum magna attentione, & deuotione, nihil interim faciendo.

Quia vero incidit sermo de Missis Natiuitatis Domini, redarguere libet quorundam abusum, qui in prima, & in secunda Missa abluunt digitos solo vino supra Calicem, & deinde in sequenti Missa eodem vino vtuntur pro materia consecrationis, quod valdè indecens est, & à dignitate tanti sacrificij omninò alienum; & idè curent Sacristæ, vt ea die super vnoquoque Altari sit vas vitreum (vt præscribitur à Rubrica, & docent communiter DD.) super quo purificentur digiti, fundente ministro vinum, & aquam, quæ poterunt sumi à celebrante post purificationem Calicis in tertia Missa, non ex Calice, sed ex eodem vase, vel poterunt proijci in Sacrarium. Non erit tamen indecens, si dictum vas apponatur super Altare plenum aqua, in qua omnes in eo Altari celebrantes digitos abluant, & post vltimam Missam per

Ti
Sacr
proij
Ho
hora
guin
non l
com
5
cipiat
salter
pag. 2
H
fundo
ad la
tione
vtrun
tit. 1
cent
tifica
mode
neces
purif
fume
ficij,
bet; p
infu
Par
xidis
riend
omn
uitat
6
ad a
dijt,
& qu

Tit. 10. De Or. Dom. vsq; ad Comm. 211
Sacristam, vel alium ministrum in sacrarium
proijciatur.

Hosiam, quæ fuit exposita in Oratione 40.
horarum, sumendam esse post sumptionem Sanguinis, dicimus *lib. 1. cap. 1. §. 6. num. 22.* quam non licere in partes diuisam ministrare laicis communicantibus, dictum est ibidem *num. 24.*

5 Pro purificatione Calicis tantum vini accipiat, quantum fuerat præconsecratum, aut saltem Calicem circumagat; *Bauldr. tit. 10. pag. 262.*

Hic nota, quod si Particula remaneat in fundo Calicis, potest vel adduci cum digito ad labium Calicis, vel sumi cum purificatione, etiam pluries, si opus sit iterata; & vtrumque modum probat ex *Rubr. Quart. p. 2. tit. 10. sect. 1. dub. 7.* at secundus modus vt docent communiter DD. est decentior: sed si purificanda esset Pixis, melius esset vti primo modo, alioquin aut fragmenta sumerentur sine necessitate à non ieiuno, aut si sumerentur ante purificationem, in qua est prædicta Particula, sumerentur ante consumptionem integri sacrificij, quod sine necessitate nullo modo fieri debet; præterquam quod maior esset indecentia, si infunderetur in Calicem, in quo adhuc esset Particula consecrata, vinum purificationis Pixidis, quod ex Calice, non eadem Pixide hauriendum esse, dicitur infra: & idem seruandum omnino in prima, & secunda Missa in die Natiuitatis Domini.

6 Sumpta purificatione antequam accedat ad abluionem digitorum, & postquam redijt, facit reuerentiam Cruci, *Bauldr. loc. cit.* & quidem iunctis manibus; & obserua, quod

tam ad purificationem, quam ad abluionem tenetur Calix super Altare (eleuatus tamen, non positus super illud) non extra Altare, nisi forte Minister sit nimis exiguae staturae; *Bauld. loc. cit.* & vtraque sumitur ab ea parte Calicis, vnde sumptus est sanguis, vt cum *Castald.* notat *Quart. tit. 10. Rubric. 5.* Caueat autem Celebrans, ne labia Calicis, aut os suum digitis detergat, nec Calicem, aut digitos lambat; ita *Gauant. p. 2. tit. 10. Rubric. 5. lit. T.* & alij communiter ex quadam Epistola Pij V. ad Archiepiscopum Tاراconen.

7 Postabluionem digitorum ponit Calicem inter Corporale, & Purificatorium, & prius dexteram, excussis digitis, amouet à Calice, & sumpto Purificatorio amouet & sinistram, cui statim Purificatorium supponit; & hic ritus est maximè accommodatus, ne cadentes guttae Mappam, seu Corporale commaculent, quod omninò cauendum, monet *Bauld. loc. cit.*

Oratio *Corpus tuum Domine, quod sumpsi,* &c. dicenda est cum digiti Purificatorio abstergantur, vt patet ex Rubrica, & monet etiam *Bauld. tit. 10. Rubr. 5. num 4 pag. 262.* & laudabilius, si in medio Altaris.

Hic breuiter nota, quod *Gauant. loc. cit. Rubric. 5.* monet, Abitemium non posse Calicem purificare sola aqua sine dispensatione Pontificis: sed necessariam non esse huiusmodi dispensationem docet cum alijs *Pasqual. qu. 109. num. 8.* cum adsit causa per se sufficiens abstinendi à vino. Imò *Tambur. Meth. Miss. lib. 3. cap. 9.* affirmat, vtentem sola aqua in purificatione Calicis, sine vlla causa, peccare solum venialiter, quod etiam probat cum alijs
idem

idem Pasqual. loc. cit. in ablutione verò digitorum nullum peccatum committere: quod docet etiam *Quart. in Rubric. Missal. quest. proem. sect. 3. punct. 6.* Nota tamen, quod qui ex voto vinum non biberet, posset tamen illud sumere in vtraque purificatione, vt ex *Azor. notat. Gauant. loc. sup. cit. & docent DD. communiter.*

Nota insuper, quod in ablutione digitorum consultius est minus vini, quam aquæ infumere, quia probabilissima, & fortasse communior est opinio, quam cum *Card. de Lug.* absolute docet tanquam certam *Busemb. lib. 6. tract. 3. cap. 1. dub. 7. num. 6.* vel vnicam guttam vini consecrari permixtam cum qualibet magna quantitate vini, saltem eiusdem speciei, non amittere consecrationem (secus si misceatur cum maiori quantitate diuersi liquoris;) nam sic plus aquæ, quam vini sumendo vitatur periculum abstergendi species consecratas cum Purificatorio.

Post hæc scripta legi apud *Leandr. par. 2. tract. 7. disp. 10. quest. 26.* hanc opinionem docuisse etiam *Victoria quest. 73. de Euchar.*

8. Ponit super Calicem Patenam, & Pallam simul, illam sinistra, hanc dextra; frustra igitur aliqui ponunt Pallam super Patenam ante ablutionem digitorum, *Pollac. in aphorism. p. 1. c. 1. rem. 21.*

9. Calicem collocat versus cornu Epistolæ, vt commodius Bursam accipiat, quæ est à parte Euangelij, dummodo Missale iam delatum addictum, cornu Epistolæ non impediatur; *Bauldr. tit. 10. pag. 262.*

10. Calix omninò tegatur in parte anteriori,

ri, sicut initio Missæ, quod colligitur ex Rubrica, & docet *Gauant.* & alij, licet *Quart. par. 2. tit. 10. sect. 1. dub. 10.* contrarium affirmet: neque manutergium ponendum super Calicem, nisi post vltimum Euangelium, facta prius reuerentia, quia tunc potest regi velo, vt dictum est supra *tit. 1. Rubr. 1. nu. 4.*

Rubrica VI.

SI quis sint 1 communicandi in Missa, Sacerdos post sumptionem Sanguinis, 2 antequam se purificet, facta genuflexione ponat Particulas consecratas in Pixide, vel si pauci sint communicandi super Patenam, nisi à principio posita fuerint in Pixide, seu alio Calice: interim Minister ante eos extendit linteum, seu Velum album, et pro eis facit confessionem, dicens: Confiteor Deo, &c. Tunc Sacerdos iterum genuflectit, et manibus iunctis vertens se ad Populum, dicit 3 Misereatur vestri, et Indulgentiam, absolutionem, & remissionem peccatorum vestrorum, &c. et manu dextera facit signum Crucis super eos, postea à genuflectens, accipit manu sinistra Pixidem, seu Patenam cum Sacramento; dextera verò sumit vnam Particulam, quam inter pollicem, et indicem tenet aliquantulum eleuatam super Pixidem, seu Patenam, et conuersus ad communicandos in medio Altaris, dicit: Ecce Agnus DEI, ecce qui tollit peccata Mundi. Deinde dicit Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur anima mea. Quibus verbis tertio repetitis accedit ad eorum

Tit. 10. De Or. Dom. vsq; ad Comm. 215
 rum Dexteram, hoc est ad latus Epistola, &
 uniuersique porrigit Sacramentum faciens cum
 eo signum Crucis & super Pixidem, vel Pate-
 nam, & simul dicens. Corpus Domini nostri
 Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam
 æternam. Amen. Omnibus communicatis re-
 uertitur ad Altare nihil dicens, & non dat il-
 lis 5 benedictionem, quia illam daturus est in
 fine Missæ. Si Particula posita erant super Cor-
 porale, extergit illud cum Patena, & si qua
 fuerint in eo fragmenta 6 in Calicem immit-
 tit. Deinde dicit secretò; Quod ore sumpsi-
 mus Domine, &c. & se purificat, dicens;
 Corpus tuum Domine, quod sumpsi, &c. &
 alia facit, ut supra. Minister dextera ma-
 nu tenens vas cum vino, & aqua, sinistra ve-
 rò mappulam aliquanto post Sacerdotem eis
 porrigit purificationem, & mappulam ad os
 abstergendum.

Nota.

1 **H**OC loco, non in fine Missæ facienda est
 communio, præsertim si pauci sint
 communicandi: *Bauldr tit. 10. pag. 263.*

2 Celebrans Palla Calicem cooperit, nec
 prius in eo vinum infundit; Idem *loc. cit.* ratio
 esse potest, ut Oratio: *Quod ore sumpsimus, &c.*
 quæ dicitur antequam sumatur vinum pro pu-
 rificatione, cadat etiam super communica-
 tos.

3 Dicit *Misereatur vestri*, etiam vnus tan-
 tum sit communicandus; *Bauldr. tit. 10. pag.*
264. fortasse, quia alij astantes communicantur
 spiritualiter. Et dicit; *Domine non sum dignus,*

non

non digna, etiam ad mulieres: quicquid dixerit *Samarin. in suo Sacerdotali par. 3. pag. 50.* & huiusmodi conuersio ad populum fit more solito in cornu Euangelij; & obserua, quod neque Sacerdos, neque Communionem accepturus, sed solus Minister percutit pectus ad *Domine non sum dignus; Bauldr. par. 3. c. 3. nu. 11. pag. 209.*

4. Facit signum Crucis cum Particula super Pixide eo modo, quo supra seipsum cum Hostia signauit: Idem *tit. 10 pag. 264.*

5. Non datur benedictio communicatis, quia danda est in fine Missæ, sed si communicentur ante Missam, benedictio eis danda est, quia fortasse non audieturi sunt ipsam Missam sequentem: *Bauldr. c. 8. post tit. 13. num. 13. pag. 273.*

In Missis verò Defunctorum nunquam datur benedictio, siue ante, siue post communicentur; imò in dictis Missis non esset Eucharistia distribuenda, vt docet *Gauant p. 2. tit. 10. Rubr. 6. lit. N. & alij communiter.*

6. Si post Communionem Populi inueniantur in fundo Calicis Sanguinis species vnita, decet ante infusionem vini eas reuerenter sumere, vt idem *Bauldr.* aduertit.

Hic obiter nota, quod etiam quando communicatur Infirmus, dicitur *Misereatur vestri non tui*, licet contrarium doceat P. Franc. Maria de Cappellis in *Circulo aureo pag. 61.* quia militat eadem ratio, quæ supra, & in fine datur ei benedictio cum Sacramento, nihil dicendo, vt patet ex Rituali; fortasse, quia cum Sacramentum reportatur ad Ecclesiam, benedicatur eum eo Populus, qui illud comitatus est, & non conuenit, vt Infirmus, cui per infirmitatem

Sacramentum comitari non licet, tali benedictione priuatur.

Moniales verò post ipsarum Communionem sola manu benedicuntur, dicendo *Benedictio Dei Omnipotentis, &c.* licet præsens sit Sacramentum: Ita *Coysett. in Prax. Sacr. Rit. tract. 2. p. 2. c. 4. pag. 307.* Ratio esse potest, quia etiam alijs, quando reportatur Sacramentum ad Altare, non datur cum eo benedictio.

Nec pondus habet, quod obiicitur ab aliquibus non decere, præsente Authore benedictionis, ipsum Sacerdotem sola manu benedicere, quia etiam Episcopus fer. 5. in Cæna Domini semel, & iterum coram SS. solemniter populo benedicir, vt in *Cæremon. lib. 2. cap. 23.* Quid plura? non ne idem facit Sacerdos dicens *Indulgentiam, &c.*

Nota insuper, quod si in præbenda Communionem Monialibus, cadat Eucharistia intra Claustrum, non debet Confessarius ingredi clausuram, vt eam accipiat, sed iubere eidem Moniali, cui porrigebat, vel alteri, vt eam accipiat lingua, & ita communique; vel vt aliqua Monialis Hostiam reuerenter cum fragmentis, si quæ deciderunt, eleuet super Patenam mediante Palla, vel etiam charta munda, & si aliter non potest, accipiat manu, & per fenestellam Sacerdoti porrigat: quo facto, signetur locus, ne pedibus coneratur, & finita Communionem ab iisdem Monialibus terra radatur, & in Sacrarum piscinam projiciatur; ita docet *Quart. p. 2. tit. 10. sect. 3. diff. 4.* & ante ipsum docuerat *Pelizar. de Monial. c. 10. sect. 3. subsect. 1. nu. 229.* contra *Nald. & Baldel.*

Sed hoc decentius præstabitur ab Abbatis-

sa, quam ab alia Moniali.

Idem dicendum, si inter communicandum cadat Particula, seu fragmentum in sinum mulieris; tunc enim ipsa mulier, vel alia debet extrahere; non Sacerdos propter indecentiam, & tentationis periculum; vide *Tamb. Meth. Miss. lib. 2. c. 8. §. 8.* quod si reperiat domi, sumat, si est ieiuna, sin minus, reuerenter conseruet, vt à Sacerdote secretò ad Ecclesiam deportetur; *Quart. p. 3. tit. 10. nu. 15. dub. 2.*

Quæri hic potest, quid faciendum, si Hostia, aut fragmentum cadat, aut Sanguis effundatur.

R. Si Hostia, aut fragmentum cadat interram, vel super lignum, aut quid simile solidum, reuerenter accipiatur, & locus munderetur, & abradatur, & puluis, & abrasio in Sacrarium mittatur: quod si ceciderit super Mappam, aut super quodcunque laneum, lineum, aut sericum diligenter lauetur, & lotio in Sacrarium projiciatur, quæ lotio quamuis decens sit, vt fiat à Sacerdote, poterit tamen in rigore fieri à Clerico, vt docet *Tamb. loc. cit. & fusè diximus supra lib. 1. c. 3. §. 5.*

Si verò cadat super barbam, aut manum communicantis, tunc ipse per se lauare debet, & lotio in sacrarium projiciatur: quod sit talis lotio fieri nequeat, sine perturbatione poterit præmitti; quam nullo modo necessariam esse docet *Pellizar. de Monialibus cap. 10. sect. 3. sub. sect. 1. num. 241.* ratio sp̄sius est, quia Rubrica solum loquitur de Mappis, & linteis, & idè non extendenda ad alia. Sed hoc non admittit *Pasqualig. quest. 315.* & merito; Rubrica enim in hoc casu extendenda est ex identitate ratio-

nis;

nis; solum dicit quod cum obligatio lauandi non sit sub mortali, possunt concurrere talia motiua, vt excludant etiam veniale.

Quod si fragmentum videatur cadere solum à Sacerdote, & sit adeò paruum, vt non speretur inueniendum, sed potiùs timeatur turbatio; tunc Sacerdos nihil dicat, sed totum Deo remittens prosequatur in suo ministerio, hoc enim hic, & nunc requirit reuerentia, & cultus facer; Ita *Tambur. loc. cit. n. 3. Pellizar. de Monial. loc. supra cit.* vbi dicit, fragmentum paruum esse sextam partem integræ particulæ, sed hoc non videtur admittendum, nam in hac quantitate fragmentum est valdè notabile, & facilè potest reperiri: opinio tamen *Pelliz.* non erit inutilis scrupulosis, qui totum diem in quærendis atomis insumerent.

Quando autem effunditur Sanguis in terram, aut super quid solidum, debet à Sacerdote lingua forberi; deinde locus est abradendus, præterquam si ceciderit super Aram consecratam; tunc enim solum lambi debet, & abrasio omitti.

Quod si fundatur super Corporale, Mappam, vel quid simile, prius supposito Calice, quantum fieri potest Sanguis exprimatur, deinde trina lotionem lauetur; quæ lotio omninò faciendâ est à Sacerdote, vel ad summum à Diacono: ita *DD. citati*: non debet tamen pars lintei Sanguine madefacta abscindi, & comburi, vt volunt aliqui, sed sufficit dicta trina lotio. Idem dicendum si ceciderit super barbam Sacerdotis: quam aliqui abradendam, & comburendam putarunt. Plura videre potes apud *Tambur. & Quart. loco cit. & alios passim.*

Hic

Hic omittere nolo, probabile esse, Ministrantem Eucharistiam in peccato mortali non peccare mortaliter, quia tunc non conficit Sacramentum, sed solum applicat, inquit DD. actiua passiuus. Vide *Dian. par. 2. tract. 14. res. sol. 23*. Contrarium tamen docet *Bonacc.* cum alijs, & *Coninch. quest. 64. art. 6. dub. 1. n. 35*, qui non solum volunt peccare mortaliter, verum etiam tot peccata committere, quot personis etiam successiue Eucharistiam distribuit.

Quæri hic potest, an peccatori occulto volenti ad vitandam infamiam communicare, possit ad vitandum etiam Sacrilegium ministrari ex eius consensu Hostiam non consecratam. Affirmant aliqui apud *Quart. par. 2. tit. 10. sect. 3. dub. 2. diffie. 3*. & apud *Dian. p. 3. tract. 6. res. 83*. supponentes casum, in quo Peccator vellet quidem disponi ad dignè recipiendum, sed moraliter non posset: Ut si vir iubeat uxorem communicare, ut ex communione, vel eius omissione conijciat, an sit adultera, & illa in tali perturbatione non possit disponi.

Contrariam tamen sententiam, ut communem, & probabiliorem docent *Quart. et Dian. loc. cit. Tamburin. Meth. Commun. c. 6. §. 2. num. 22*. & plures apud ipsos. Rationem adducunt, quia semper adest periculum idololatriæ, saltem materialis. Sed huic rationi non acquiesco, ubi enim periculū idololatriæ, si Sacerdos, dum dicit *Ecce Agnus Dei, etc.* ostendat populo Hostiam consecratam, deinde præbeat non consecratam? certè adstantes non adorant determinatè illam particulam, quæ communicanti præbetur, sed indeterminatè SS. Sacramentum, tunc verè ibi præsens.

At ego vix puto dari posse casum, in quo peccator sit indispositus sine sua culpa, v^t ex dicendis patebit; & ideò prima sententia non est deducenda in praxim, non propter rationem superioris allatam: sed ne præbeatur ansa peccatoribus perseverandi in malo statu, & infordescendi in peccatis: hoc enim esset cooperari eorum induratae malitiæ; idquè confirmari potest exemplo Christi Domini, qui Iudæ proditori verum corpus suum exhibuit, nec vitare voluit Sacrilegium, cum posset panem porrigere non consecratum. Imputet autem sibi peccator, si indignè communicet. Suppono enim moraliter non posse dari casum, in quo peccator sine sua culpa indignè communicet.

Nam vel peccator non potest confiteri, & tunc cum sola contritione poterit communicare, vel potest quidem confiteri, sed cum habeat censuram, vel peccatum reservatum, Confessarius eum non potest absolvere, & in hoc casu potest disponi per actum contritionis, vel confitendo peccata non reservata, & ab ijs directè indirectè autem à reservatis absolui, v^t diximus *supra lib. 1. cap. 1. §. 2. num. 19. et seq.* vel denique inchoavit Confessionem generalem ex necessitate, quæ non potest vnica vice terminari; & tunc non posse impendi absolutionem, nisi terminata confessione, docent ex *Zambran. Dian par. 5. tract. 8. ref. 75. et Leand par. 1. de sacr. tract. 5. disp. 5. quæst. 57.* qui excipiunt casum imminentis mortis, & casum, in quo pœnitenti esset impossibilis contritionis actus, & vrgeret necessitas communicandi, ad vitandam infamiam; tunc enim posset absolui, etiam nondum absoluta confessione. Ex quibus patet, quod

quod nunquam aderit causa sufficiens ministrandi Hostiam non consecratam, cum semper peccator possit, si velit, se disponere ad dignè communicandum.

Dixi supra *Confessionem generalem*, ex necessitate, quia si fiat ex deuotione, poterit absolutio impendi toties, quoties confessio interruptur.

Docet tamen *sancius in select. disp. 35. nu. 3.* & alij apud ipsum, posse Sacerdotem in proposito casu simulare immittere Hostiam consecratam in os peccatoris, & eam post signum crucis demittere in Pixidem: & *Quart. loc. cit.* dicit, quòd si hoc sit medium necessarium ad vitandum sacrilegium, & infamiam poenitentis, non solum posse, sed etiam teneri; quòd verum puto, si communicans sine sua culpa sit indispositus, quòd dicimus moraliter esse impossibile; Si verò sit indispositus culpabiliter, licet secundum doctrinam superius traditam ex *Diam. et Tambur.* quia cessat periculum idolatriæ, propter quam negabatur posse ministrari Hostia non consecrata. Sed quia dixi non licere ministrare Hostiam non consecratam ex alia causa, nimirum propter cooperationem cum malitia peccatoris, & periculum ne fiat obstinatio in peccatis, & ideo necessario, & consequenter dicere, debeo, & id non licere.

Notandum denique est, quòd quando Eucharistia ministratur intra Missam, in fine quando reportatur Sacramentum ad Altare, nihil dicitur, vt patet ex ipsa Rubrica, quando verò ministratur extra Missam, dicitur Antiph. *O Sacrum Conuiuium, etc. V. Panem*
de

T
de C
Dom
sub S
Paf
ne,
ex R
Corp
cran
Dei
San
Ame
Q
hoc
V
ad A
quib
genu
Sac
aut
hære
furgi
gitos
aqua
medi
& po
medi
sus g
man
nicar
etc. c
Ita d
gula

Tit. 10. De Or. Dom. usq; ad Comm. 223
de Cælo: Domine exaudi Orationem meam:
Dominus vobiscum, & Oratio Deus, qui nobis
sub Sacramento mirabili, cuius loco tempore
Paschali dicitur Oratio Spiritum nobis Domi-
ne, & Antiph. & V. additur Alleluia, vt patet
ex Rituali, quod additur etiam infra Octauam
Corporis Christi, & clauso in Tabernaculo Sa-
cramento, datur benedictio, dicendo; Benedictio
Dei Omnipotentis Patris, et Filij, et Spiritus
Sancti descendat super vos, et maneat semper.
Amen.

Quæ Præces dicendæ essent manibus iunctis
hoc modo.

Vbi omnes communicarint. Sacerdos redit
ad Altare, digitos adhuc tenens super Pixidem,
quibus Sacramentum tetigit; deponit Pixidem,
genuflectit, surgit, & dicit Antiphonam; *O*
Sacrum Conuiuium, etc. vt supra. Diligenter
autem aduertat, ne quid fragmenti digitis ad-
hæreat, & illud in Pixidem deponat; genuflectit
surgit, Pixidem cooperit operculo, & velo; di-
gitos abluit, ministrante Clerico vinum, &
aquam, & Purificatorio abstergit. Si recedat à
medio, & ad medium redeat, genuflectat prius,
& postea. Deinde genuflectens, si non recessit à
medio reponit Pixidem in Tabernaculo, & rur-
sus genuflectens clauē obserat: postea extensa
manu dextera semel benedicit ijs, qui commu-
nicarunt, dicens; *Benedictio Dei Omnipotentis,*
etc. cui Minister genuflexus respondet *Amen.*
Ita describitur à *Gauant. in Cærem. Cleric. Re-*
gular. S. Pauli lib. 3. cap. 7. pag. 218.



Rubrica VII.

SI in Altari remaneant 1 Particula in Calice, seu in alio vase usque ad finem Missæ: 2 seruentur ea, quæ in Fer. V. Cœna Domini præscribuntur circa finem Missæ.

Nota.

1 **F**Ragmenta seu Particulas, quæ non possunt decenter seruari, Celebrans ipso summat, etiam post purificationem, etiam in Sacristia post spoliatas vestes, nisi alteri Sacerdoti celebraturo tradi possint; & si fragmenta sint et minimis alteri tradenda non sunt, propter periculum ea amittendi: quæ omnia fusius tradita sunt *lib. 1. c. 1. §. 6. nu. 7. et seq.*

2 De Missa coram SS. Sacramento dicentur *lib. 3. c. 2.* Nota tamen, quod in hoc casu, & simili (scilicet quando SS. Sacramentum est in plano Altaris) Calix Missæ non debet collocari in medio, sed ad cornu Euangelij neque plicari debet Corporale, cum super ipsum stare debeat SS. Sacramentum: *Bauldr. tit. 10. pag. 264. vers. ult.*

Appendix de Purificatione Pixidis.

SI purificanda sit Pixis intra Missam, purificetur ante purificationem Calicis; infuso tamen prius vino in Calice, hoc modo.

Colliguntur diligentissimè omnia fragmenta in fundo Pixidis cum indice manus dextræ, & consumuntur eodem digito cum fragmentis linguæ admoto, vel admoto ore ad labium Pi-

Tit. 10. De Or. Dom. vsq; ad Comm. 225
xidis, itaut nullum fragmentum remaneat. Po-
est deinde parum vini infundi, & eo circum-
cto, & interiori parte Pixidis indice absterfa,
vinum sumi, & Pixidis Purificatorio exsiccati; Ita
ex *Gauant.* docet *Bauldr. loc. cit. pag. 265.*

Sed hunc modum purificandi Pixidem, tan-
quam indecentem reprobatur *Quart. p. 2. tit. 10.*
sect. 2. dub. 8. docens cum *Delug.* fragmenta Pi-
xidis esse immittenda in Calicem; & cum prima
ablutione sumenda, vel potius, ex opinione *Co-
ninch.* immittenda in Calicem ante sumptionem
Sanguinis quem modum in omnibus præ-
ferendum putat: vinum quoque, quod ad Puri-
ficationem Pixidis adhibetur, ex Calice, non ex
Pixide hauriendum.

Hic modus, quem docet *Coninch.* utique est
decentior, sed non in usu, propter periculum ef-
fundendi Sanguinem, dum Tabernaculum ape-
ritur, & ex eo Pixidis extrahitur. Alius, quem do-
cet *Quart.* certè difficilior; nam fragmenta im-
missa in Calicem possunt idem Calici adhære-
re, & cum purificatione non sumi: quæ tamen,
quantum fieri potest, sumenda sunt à ieiuno.
Hinc est, quod, quoad fragmenta sumenda, opi-
nionem *Gauanti* sequeretur, digitum scilicet lin-
guæ admouendo; vinum tamen non ex Pixide,
sed ex Calice hauriendum.

TITVLVS XI.

*De Communione, et Orationibus post
Communionem dicendis.*

Rubrica I.

Celebrante purificato, dum Calicem col-
locat in Altari, Liber in Missalis deservitur
per

per Ministrum ad cornu Epistola, & collocatur ut in Introitu. Ipse autem Minister genuflectit iuxta cornu Euangelij, ut in principio Missa. Deinde Celebrans stans iunctis manibus legit Antiphonam, qua dicitur Communionio; qua lecta, iunctis item manibus ante pectus, vadit ad medium Altaris, & eo osculatus vertit se ad Populum à manu sinistra ad dexteram, & dicit Dominus vobiscum, & per eandem viam redit ad Librum: & dicit Orationes post Communionem, eisdem modo, numero, & ordine, quo supra dicta sunt Collecta. Quibus finitis claudit i Librum, & iungens manus ante pectus reuertitur ad medium Altaris; ubi, eo osculato, vertit se ad Populum, & dicit, ut supra, Dominus vobiscum. Quo dicto, stans iunctis manibus versus Populum dicit si dicendum sit, Ite Missa est: & per eandem viam reuertitur ad Altare; si vero non sit dicendum, dicto Dominus vobiscum, reuertitur eodem modo per eandem viam ad medium Altaris, ubi stans versus ad illum iunctis ante pectus manibus dicit Benedicamus Domino. In Missis autem Defunctorum, eodem modo stans versus Altare dicit Requiescant in pace.

Nota.

Claudit librum post conclusionem Orationis completam manu dextera, ita ut pars clausa (id est pars foliorum) Calicem respiciat. Si verò aliud Euangelium sit legendum, Librum apertum relinquit, nec accedit ad medium Altaris, nisi dum Minister ref-

Tit. 12. De Ben. in fine Missa, etc. 217
respondet *Amen*. *Bauldr. tit. 11. pag. 266.*

Videtur tamen sufficere, si claudat librum, circa finem conclusionis post factam reuerentiam Cruci, dummodo ad medium non accedat, nisi finita conclusione.

Rubrica II.

IN *Quadragesima feria quarta Cinerū, vsq;* ad feriam quartam maioris Hebdomadae, in *Feriali Officio*, postquam Celebrans dixit *Orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus, antequā dicat Dominus vobiscum, stans in eodem loco ante Librum, dicit et Oremus: Humiliate capita vestra Deo, caput inclinans; et extensis manibus, subiungit eadē voce Orationē super Populū, ibidem positam, qua finita osculatur Altare, et vertens se ad Populū dicit, Dominus vobiscū, et alia vt sup.*

Nota.

IDicit *Oremus. Humiliate capita vestra Deo* vnica capitis inclinatione, vt colligitur ex Rubrica, quae inclinatio fit more solito versus Crucem.

Rubrica III. est de Missa solempni.

TITVLVS XII.

De Benedictione in fine Missa, et Evangelio S. Ioannis.

Rubrica I.

Dicto *Ite Missa est, vel Benedicamus Domino, vt supra, Celebrans, ante*

L me-

medium Altaris manibus iunctis super eo, & capite inclinato, dicit secreto Placeat tibi Sancta Trinitas, &c. Quo dicto extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum in medio osculatur: tum erigens se adhaerens versus illud eleuat ad Caelum oculos, & manus, quas extendit, & iungit; caputque Crucis inclinans dicit voce intelligibili Benedicat vos omnipotens Deus, ac iunctis manibus, ac demissis ad terram oculis vertens se ad Populum à sinistro latere ad dexterum, extensa manu dextera, iunctisque digitis, & manu sinistra infra pectus posita 1 semel benedicit populo dicens Pater, & Filius ✝ & Spiritus Sanctus. R. Amen. & circulum perficiens accedit ad cornu Euangelij, ubi dicto Dominus vobiscum, & R. Et cum Spiritu tuo, pollicem dextero 2 signans primum signo Crucis Altare, siue Librum in principio Euangelij, deinde frontem, os, & pectus dicit Initium S. Euangelij secundum Ioannem, vel Sequentia S. Euangelij, ut dictum est in Rubricis generalibus, & R. Gloria tibi Domine, iunctis manibus legit Euangelium, In principio, vel aliud, ut conuenit. Cum dicit Et Verbum Caro factum est, genuflectit versus cornu Euangelij, & surgens prosequitur, ut prius: quo 3 finit Minister stans à parte Epistola respondet Deo gratias.

Nota.

2 SI Celebrans habeat ante se, & à tergo circumstantes, videlicet Clerum in Choro, & Moniales, & populum ante Altare, semel tantum

tum benedicit, eos scilicet, qui sunt ante Altare,
intentione ad omnes directa; *Gauant. p. 2. tit.*
12. Rubric. 1. lit. X.

Signum Crucis supra populum fit duabus li-
neis recta, & transuersa, digitis dextræ simul
iunctis, leniter extensis, & paruo digito ali-
quantulum inflexo; interim sinistra infra pectus
posita, vt alibi dictum est. Prima linea ducitur
à fronte ad pectus manu nec prorsus recta, nec
nimis iacente: secunda linea ducitur manu
transuersa palma eius Sacerdotis pectus ali-
quantulum respiciente. Nec placet quod docet
Bonamic. p. 1. obseru. 9. num. 6. scilicet ambas
lineas eæsim ducendas esse, itaut in secunda li-
nea palma manus terram directè aspiciat: Nam,
præterquam quod huiusmodi gestus nihil ve-
nustatis habet, insuper signum Crucis non
formaretur versus populum, qui cum infra
Sacerdotem positus sit, paruo digito ad ipsum
inflexo benedici debet. In hac tamen populi
benedictione certè non displicet opinio *Ca-*
stald. & Quart. dicentium, lineam transuer-
sam faciendam esse manu non transuersa, sed
recta, vt dictum est supra *tit. 3. Rubr. 5.* post
num. 1. quia plus venustatis in hoc gestu appa-
ret, & facilius redditur, præsertim Episco-
pis, qui incedendo frequenter populo be-
nedicunt: in quo casu non esse tenendam
sinistram infra pectus docet *Bonamic. loc. cit.*
num. 8.

Hic aduerte, simplicem Sacerdotem, non
posse populo benedicere extra Missam, & Sa-
cramentorum administrationem, vel aliam sa-
cram functionem, vbi præscribitur à Rubric. vt
quando recipiuntur Nouitiæ ad professionem,

quando à Parocho visitantur infirmi, & alia
huiusmodi: ratio huius limitationis deducitur
ex *Caremon. Episc. lib. 1. c. 4.* vbi vel ipsis Epi-
scopis non conceditur benedicere populo, etiam
priuatim, nisi in sua Diœcesi; Et *Barbos. in de-
cis. Apost. V. Abbas num. 24.* refert Decl. Congr.
in qua dicitur, Abbatem non posse subditis suis
etiam priuatim benedicere per viam, quia id
id non habet iurisdictionem; ergo nec simplex
Sacerdos.

Habetur etiam in *Carem. cleric. Regul. S.
Pauli lib. 1. cap. 8. pag. 48.* vbi dicitur, *Sacerdos
benedicit verbo, dicens Dominus te benedicat,
non manu.*

Quia verò in confraternitatibus Laicorum
adest inueterata consuetudo, vt in fine Congre-
gationis Corrector, siue alius Sacerdos fratri-
bus benedicat, poterit quidem laudabilis hæc
consuetudo seruari, sed modo infra scripto.

In fine Congregationis surgens Corrector,
siue alius Sacerdos dicat *Benedictio Dei Omni-
potentis Patris, et Filij, et Spiritus Sancti de-
scendat super nos, et maneat semper, Amen;*
signans seipsum, nam sic, & populo satisfaciet
diuinam eis benedictionē implorans, nec quic-
quam sibi vltra iurisdictionem arrogabit.

Et hoc, ne sua videatur auctoritate carere,
deduco ex functionibus Ecclesiasticis: nam in
fine Completorij Hebdomadarius, si sit sim-
plex Sacerdos, dicit: *Benedicat, et custodiat
nos, etc.* signans seipsum; Episcopus verò, si
Completorio intersit, & Officium faciat, dicit:
Benedicat, et custodiat, etc. populo benedicens;
ita ex *Carem. Episc. lib. 2. cap. 4.*

2. Initio Euangelij signat Librum, seu char-
tulam,

Tit. 12. De Ben. in fine Missæ, &c. 231
tulam, si ad sit: si vtrumque desit, signat Altare,
nisi forte expositum SS. Sacramentum, vt suo
loco dicitur.

3 Dicitò Euangelio, non osculatur Librum,
si eo vsus est, & illum claudit dextera manu,
ita vt pars aperta Libri respiciat cornu Euange-
lij, non Calicem; *Gauant. p. 2. tit. 12. Rubr. 1. lit. A.* nec vertit se, vt faciat reuerentiã, nisi ad-
sit proprius Prælatus vt infra dicitur *Rubr. 5.*

Rubrica II. & III.

SI Celebrans in Altari vertit faciem ad po-
pulum, non vertit se, sed stans vt erat, be-
nedicit populo, vt supra, in medio Altaris: de-
inde accedit ad cornu Euangelij, & dicit
Euangelium S. Ioannis.

Si celebravit coram Summo Pontifice, Car-
dinali, & Legato Sedis Apostolica, vel Pa-
triarcha, Archiepiscopo, & Episcopo in Pro-
uincia, Ciuitate, vel Diocesi sua existente,
Celebrans dicitò Placeat tibi Sancta Trinitas,
&c. dicit Benedicat vos omnipotens Deus, &
conuertens se ad Summum Pontificem genu-
flexus, ad Cardinalem verò, et Legatum, et
alium ex supradictis Prælati capite inclina-
to, quasi licentiam benedicendi petens, prose-
quitur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus,
benedicens adstantes à parte, vbi non 1 adest
Summus Pontifex, Cardinalis, Legatus, aut
Prælatus prædicti. Si autem celebravit coram
Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo extra
eorum Prouinciam, Ciuitatem, vel Diocesim
constitutis eis absque alio respectu, vt cæteris,
qui intersunt, more consueto benedicit.

Nota.

¶ **S**I sit in medio, benedicit solùm adstantes à latere Euangelij, intentione tamen ad omnes directà; *Bauldr. tit. 12. pag. 267.*

Rubrica IV. & V.

SI autem celebravit pro Defunctis, dicit Placeat tibi Sancta Trinitas, ut supra; & osculato Altari accedit ad cornu Euangelij, & dicit Euangelium S. Ioannis, pratermissa benedictione, qua in Missis Defunctorum non datur.

Finito Euangelio in fine Missa, si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinale, & Legato Sedis Apostolica, vel Patriarcha, Archiepiscopo, & Episcopo, conuertit se ad illum, coram quo ex prædictis celebravit, & facit reuerentiam conuenientem. Si non celebravit coram aliquo prædictorum, huiusmodi reuerentiam pratermittit.

Nota.

¶ **H**uiusmodi reuerentia an sit faciendâ Episcopo extra Diocesim, & Principibus sæcularibus dicitur infra *tit. 14. num. 9. & 11.*

Rubrica VI.

Quibus omnibus absolutis, extinguuntur per Ministrum candela, interim Sa-
cer-

cerdos 1 accipit sinistra Calicem, dexteram
 ponens super Bursam, ne aliquid cadat, de-
 scendit ante infimum gradum Altaris; & ibi
 in medio vertens se ad illud, caput inclinat,
 vel si in eo est Tabernaculum SS. Sacramenti,
 genuflectit, & 2 facta reuerentia, accipit Bi-
 retum à Ministro, caput cooperit, & praece-
 dente eodem Ministro, eodem modo, quo ve-
 nerat 3 redit ad Sacristiam; interim dicens
 Antiphonam, Trium puerorum, &c. Can-
 ticum Benedicite. Si verò dimissurus sit para-
 menta apud Altare, 4 ubi celebravit, finito
 Euangelio prædicto, ibidem illis se exiit,
 & dicit Antiphonam Trium puerorum, cum
 Cantico, & suis Orationibus, ut suo loco po-
 nuntur.

Nota.

1 **F**Acta prius Cruci reuerentia, & reuo-
 luta anteriore parte veli super Calicem,
 tunc retrahens se aliquantulum ad partem
 Euangelij, vt alibi dictum est, descendit in pla-
 num.

2 Non facit duplicem reuerentiam, sed vni-
 cam, siue genuflexionem, siue capitis inclina-
 tionem; *Bauldr. tit. 12. pag. 268.* nec Biretum
 capit, nisi post factam reuerentiam, vt patet ex
 Rubrica.

3 Reduendo in Sacristiam seruet ea, quæ
 initio de ingressu ad Altare dicta sunt. Si ob-
 uitium habeat alium Sacerdotem celebraturum,
 sequatur viam suam à latere suo dextro, & ille
 alius similiter; seiplos tamen consalutent capi-
 tis inclinatione; *Bauldr. loc. cit. pag. 269.*

In Sacristia facta profunda reuerentia Crucis, vel principali Imagini, deponit Calicem; quo deposito, & capite detecto Sacerdotes ibi praesentes salutatur: deinde exiit se ordine retrogrado, & Cruces osculatur ad singula paramenta, etiam recitata Missa de *Requiem*, ut alibi dictum est.

Caueat, ne Ministro benedicat manu, sed verbo, ut ex *Carem. Barnab.* dictum est supra in *Notis, Rubr. 1. num. 1. vers. Hic aduerte*.

Denique lauat manus, & genuflexus in loco opportuno gratias agit.

4 Si exiit se ad Altare, facit prius in medio reuerentiam, & paramenta deponit in cornu Euangelij, ubi ea accepit.

Rubrica VII. & VIII. sunt de Missa solemni, & Episcopali.

T I T V L V S XIII.

De ijs, qua omittuntur in Missis pro Defunctis.

Rubrica I.

IN Missa 1 pro Defunctis ante Confessionem non dicitur Psalmus *Iudica me Deus*, sed pronuntiata Antiphona *Introibo ad Altare Dei*, & responso à Ministro *Ad Deum*, qui latificat, &c. dicitur versus *Adiutorium nostrum*, et Confessio, cum reliquis, ut supra. Cùm Celebrans ad Altare incipit Introitum, non signat se, sed manu dextra extensa facit 2 signum Crucis super Librum, quasi aliquem bene-

Tit. 13. De ijs, qua in Miss. Def. om. 235
benedicens. Non dicitur Gloria Patri, sed post
Psalmum repetitur Requiem aeternam: nec
dicitur Gloria in Excelsis, nec Alleluia, nec
Iube Domine benedicere, nec Dominus sit
in corde meo, nec 3 osculatur Librum in fine
non dicitur Credo, nec benedicitur aqua in
Calicem infundenda: dicitur tamen Oratio
Deus, qui humanæ substantiæ, &c. Cum la-
uat manus in fine Psalmi Lauabo inter in-
nocentes, &c. non dicitur Gloria Patri. Ad
Agnus Dei, non dicitur Miserere nobis, sed
eius loco dicitur Dona eis Requiem, nec ter-
tio Dona nobis pacem, sed eius loco Dona
eis requiem sempiternam, nec percutitur
pectus. Non dicitur prima Oratio ante Com-
munionem, scilicet Domine Iesu Christe, qui
dixisti Apostolis tuis, &c. nec datur pax.
In fine non dicitur Ite Missa est, nec Benedi-
camus Domino, sed 4 Requiescant in pace,
Et non datur Benedictio, sed dicto Placeat,
& osculato Altari, dicitur ut supra, In prin-
cipio erat Verbum, &c. Alia omnia ut in alijs
Missis.

Nota.

1 **P**salmi, qui dicuntur pro præparatione
 Missæ, omitti possunt; sed si dicantur, ser-
 uentur ea, quæ tradita sunt initio Missæ *tit. 1.*
Rubr. 1. num. 2. non tamen omittuntur oscula
 Amictus, Manipuli, & Stolæ, dum Celebrans eis
 induitur, & exiuitur, ut alibi dictum est cum
Bauldr. & alijs.

2 Dum benedicat Librum ad Introitum, si-
 nistram super illum ponit, iuxta ea, quæ tradita

sunt *tit. 3. Rubric. 5.* post *nu. 1.* ubi traditur modus formandi signum Crucis.

3 In fine Euangelij non osculatur Librum, & per consequens non dicit *Per Euangelica dicta*, cum sint relatiua, vt clarius docet ipsa *Rubr. 2. tit. 6.*

4 In fine Missæ dicitur in plurali *Requiescant in pace*, etiamsi pro vno tantum celebrata sit; quod obseruandum etiam in absolutione post Missam docet *Corsett. tract. 1. p. 1. cap. 4. num. 18. pag. 50.* sed contrarium traditur in *Rituale de officio faciendo in exequiis pag. 180.*

Sæpè dubitari solet, quæ Oratio dicenda sit in die obitus Sacerdotis: Sed dico cum *Quart. p. 1. tit. 5. dub. 1. nu. 10.* quod in die obitus, tertio, septimo, trigesimo, & anniuersario Papæ, Cardinalis, Episcopis, & Sacerdotis, dicitur eorum Oratio propria; ita vt pro Sacerdote erit Oratio *Deus qui inter Apostolicos*, vel *Præsta quasumus.*

Epistolæ, & Euangelia sunt ad libitum Celebrantis: decet tamen ea dici prout in Missali distributa. Sed ea, quæ habentur in prima Missa, dicuntur in Missis pro Papa, Cardinali, & Episcopo: pro alijs vero Sacerdotibus dicitur congruentius Epistola, & Euangelium secundæ Missæ. Vide *Quart. loc. cit.* & alios communiter.

Nota hic obiter, quod dum fit Absolutio post Missam si eleuetur SS. Sacramentum in aliquo Altari, neque Celebrans, neque Ministri genuflectunt, ne sacra interrumpatur actio, & rectius fieret si in ea elevatione non pulsaretur Campanula; *Bauldr. tit. 13. pag. 270.* Sed vide
limi-

Tit. 14. De Missa priu. coram Pral. 237
limitationem, quam addidimus supra *tit. 3. Rubric. 4. pag. 161.*

Quando verò sedetur in Missa solemnī ad *Gloria in excelsis*, & *Credo*, debet Celebrans cum Ministris genuflectere; *Bauldr. p. 3. tit. 11. de Missa solemnī art. 4. num. 22. pag. 287.*

Et quod dicitur, quando SS. Sacramentum eleuatur, idem seruandum quando ostenditur, vel circumfertur. *Idem p. 2. cap. 3. num. 10. pag. 129.*

Quæ omnia intelligenda sunt, quando Altaria, in quibus hæc fiunt, sunt valde proxima, & in conspectu Celebrantis, & ita monet idem *Bauldr. loc. cit. pag. 287.* sed hæc de re vide, quæ falius dicta sunt *tit. 3. Rubr. 4. pag. 160.*

Quæ omnia, licet ad Missam priuatam non spectent, ea tamen scire non erit inutile.

Rubr. II. III & IV. sunt de Missa solemnī.

TITVLVS XIV.

*De Missa priuata coram Pralato in loco
sua Iurisdictionis.*

Quoties in Rubrica actum est de Missa coram Pralato nihil adnotauī: nunc igitur nonnulla, quæ præcipua sunt, breuiter simul collecta exponam. Quæ omnia Sacerdos seruare debet, si celebret coram Cardinale vbique Terrarum, coram Patriarcha, & Archiepiscopo in tota Prouincia, coram Episcopo in sola sua Diocesi, coram Nuncio, & Legato Apostolico in loco suæ Legationis.

1 Conuenit vt accedat ad Altare , & omnia patet ante Prælati aduentum . Quibus paratis stans in cornu Epistolæ versus Altare , ipsum Prælatum expectat , quem aduenientem salutat, & descendens in planum , facta prius Cruci reuerentia, sistit se non in medio , sed ad cornu Euangelij , aliquantulum conuersus ad Prælatum expectans ab eo signum incipiendi , quod dato inclinat se Prælato profundè , & aliquantulum conuersus ad Altare incipit Missam more solito .

2 In Confessione vbi dicitur *Vobis fratres*, *Et vos fratres* , dicit *Tibi Pater*, & *Te Pater*, Prælato profundè se inclinans , & si sint plures Prælati æquales dicit in numero plurali *Et vobis Patres* , & *Vos Patres* ; *Gauant. p. 2. tit. 3. Rubric. 8.*

3 Dicto *Oremus* eidem se profundè inclinatur , & accedens ad medium Altaris ascendit dicens *Aufer à nobis* , & alia peragit vt in alijs Missis .

4 Finito Euangelio, non osculatur Librum , nec dicit *Per Euangelica dicta* , sed Liber defertur per Ministrum osculandus Prælato. Qui Minister fert Librum apertum , nec facit reuerentiam Prælato, nisi Libro post osculum clauso. Si sint plures Prælati , osculatur Librum solum dignior; si sint æquales, vt Cardinales, nullus, neque ipse Celebrans .

5 Dicta prima Oratione post *Agnus Dei* , osculatur Altare , & ambabus manibus tenens Instrumentum Pacis , quod ei porrigitur à Ministro genuflexo à dextris Celebrantis , illud osculatur dicens, *Pax tecum*, cui respondet Minister *Et cum spiritu tuo* , & defert illud

illud osculandum Prælatò faciens genuflexionem Altari, & nullam reuerentiam Prælatò, nisi post osculum Pacis.

6 Antequam det benedictionem, dicto *Benedicat vos omnipotens Deus*, conuersus ad Prælatum, eique se profundè inclinans, & quasi petens ab eo licentiam benedicendi populum, profequitur dicens *Pater, et Filius, etc.* benedicens solum assistentes, vbi non est Prælatus, qui si sit in medio, benedicit versus cornu Euangelij.

7 Post finem vltimi Euangelij conuersus ad Prælatum adhuc stans in cornu Euangelij facit illi profundam reuerentiam, nec redit in Sacristiam, nisi postquam Prælatus discesserit.

8 Si celebret coram Summo Pontifice antequam incipiat Missam, genuflexus expectat ab eo benedictionem.

Item genuflectit 1 Ad Confessionem dicens *Tibi Pater, 2 et te Pater, 3* antequam ascendat ad Altare post Confessionem, 4 antequam populo benedicat in fine Missæ, 5 denique post vltimum Euangelium; Cætera peraguntur vt supra.

9 Si celebret coram Prælati extraneis, siue coram proprio in aliena Diocesi, & si sit Archiepiscopus extra Prouinciam, ita se gerit ac si non adessent. Deferendum tamen est illis osculandum Instrumentum Pacis, & accedendo, & recedendo ab Altari, transeundo ante ipsos, facienda est eis capite tamen tecto reuerentia. Et *Quart. par. 2. tit. 12.* concedit etiam ex *Castald.* reuerentiam statim finito vltimo Euangelio.

Ipse tamen exciperem, quando celebratur

coram proprio Episcopo extra Diocesim, vel Archiepiscopo extra Prouinciam; sed in priuato Oratorio ipsiusmet Episcopi praesente sola familia: nam tunc idem est, ac si esset in sua Diocesi: & in hoc casu nominandus esset in Canone proprius Praelatus, non Episcopus loci, in quo celebratur, licet contrarium dictum sit *supra tit. 8 Rubr. 2. nu. 2.* ratio est, quia mentiretur Celebrans dicens de Episcopo loci *Et Antistite Nostro N.* cum neq; ipsius Sacerdotis, neque audientium sit proprius Episcopus.

10 Quod seruatur coram Praelatis extraneis, seruatur etiam coram magnis Principibus, quibus praeter Instrumentum Pacis defertur etiam ex tolerantia osculandus Liber post Euangelium; non quidem Liber Altaris, quem ipse Celebrans osculari debet, sed alius: nullus autem foeminis: ita comm. Coeremon Magistri, vide *Lunador. in sua relat. Cur. Rom. c. de canoniz. Sancti Raimundi, pag. 99. in hac nouissima Veneta editione, ubi nec Serenissimas Etruriae, & Austriae excipiendas esse affirmat.*

Haec omnia fusius videri possunt apud *Gauant. Bauldr.* & alios in suis locis.

11 Ex dictis patet, quod, cum celebratur coram Principe, ante benedictionem in fine Missae non est facienda reuerentia, quia ab eo peti non debet licentia benedicendi populo. Potest tamen fieri statim finito Euangelio vt monet *Quart loc. cit.* non ex vi Rubricae, sed ex consuetudine, non autem ceteris, nisi post sacras vestes depositas.

Non esset etiam facienda Confessio in cornu Euangelij, sed in medio Altaris; (Praelato enim sit in cornu Altaris, quia ad ipsum se debet Sa-

Tit. 14 De Missa prius coram Præl. 241
cerdos conuertere, cum dicit *Tibi Pater, & Te Pater*;) sed & hoc aliquibus in locis consuetudo iam introduxit.

A quibus omnibus omninò abstinendum est coram Principe ficto, qui creari solet in quibusdam prophanis functionibus; in spiritualibus enim iocari nefas.

12 Hic obiter nota, quod inter Missarum solemnia, dum Celebrans cum Ministris sedet ad *Gloria in excelsis*, & *Credo*, tanto magis ad Vesperas, si adueniat proprius Episcopus, vel eo Superior, aut Princeps, debent omnes assurgere, & operto capite stare, donec ipse orauerit, & ita consuetudine receptum est; Sacerdos tamen cum Ministris non debet de suo gradu descendere; si sit Episcopus, vel Abbas non deponunt Mitram, & ita faciendum esse respondit de hac reconsultus *P. Gauant.* vt habetur in quodam eius Manuscripto, penes præclarum virum Nicolaum Aldinum in Florentina Diocesi dignissimum Sacrarum Cæremoniarum Magistrum.

13 Et ob hanc causam seruari non potest opinio Caramuelis relata superius *tit. 3. Rubr. 4 pag. 159.*

Si enim assurgimus Prælato, & Principi, quare Regem Regum Christum sub accidentibus Panis, & Vini genuflexi non adoremus, E si cultum Patriæ publicum fas est interrumpere ad exhibendum honorem Homini, cur non licebit interrumpere, imò duplicare, ad præstandum obsequium Deo? Sed hoc meliori iudicio discernendum relinquo.

Finis Libri Secundi.

SA-

SACRI ENCHIRIDII
LIBER TERTIVS.

In quo, post multas observationes circa Missam, traditur ritus celebrandi coram Sanctissimo Sacramento exposito; de eiusdem expositione, & depositione, & de Cultu Sanctissimæ Cruci exhibendo.

CAPVT PRIMVM.

Repetitio multorum, quæ sparsim in secundo Libro tradita in vnum memoriæ gratia colliguntur.

§. 1. De inclinationibus, & gentiflexionibus.

NON semper vno, eodemque modo inclinandum est; quia aliquando caput solum, aliquando caput, & humeros aliquantulum, aliquando tandem caput, & humeros profunde inclinare debemus.

§. 2. De simplici capitis inclinatione.

Caput solummodo inclinatur, dum dicitur:

I. *Gloria Patri.*

II. *Oremus.*

III. Ad nomina *Iesu, Mariæ, & Sanctorum,*
de

de quibus ea die fit Officium, vel specialis commemoratio ad vespervas, vel Laudes, & ad hos in Oratione tantum, non autem dum nominantur in Epistola, vel Euangelio per modum Historiæ.

2 Dixi *specialis*, quia non debet intelligi de suffragijs Sanctorum in Oratione *Acunctis*, & quotidianis Commemorationibus, Item inclinatur ad nomen *Papæ* viuentis, non autem alterius Prælati.

3 Profundius tamen inclinandum est ad nomen *Iesu*, & *Mariæ*, quam ad alia nomina, & quando verbum ad quod inclinatur longiusculum est, vt *Gloria Patri*, &c. & aduertendum est, quod Celebrans dum stat in cornu Epistolæ, vel in medio Altaris ad nomen *Iesu*, caput inclinatur versus Crucem; quando vero est in cornu Euangelij inclinatur versus Librum; ad alia nomina non inclinatur caput Cruci, nisi sit in ipso medio Altaris: *Bauldr. p. 3. c. 5. nu. 2. pag. 212.*

IV. Item ad *Gloria in excelsis*, dum dicit Deo *Adoramus te: Gratias agimus tibi: Iesu Christe; Suscipe deprecationem nostram; & Iesu Christe.*

V. Item ad Symbolum dum dicit *Deum* in primo versu, & *simul adoratur.*

VI. Ad præfationem dum dicit *Deo nostro*, in versu *Gratias agamus.*

VII. In Canone ad commemorationem viuorum, & mortuorum, & dum dici bis *Tibi gratias agens*, & ad *per eundem Christum Dominum nostrum*; ante *Nobis quoque peccatoribus*, quod est singulare in tota Missa.

VIII. Denique dum dicit *Benedicat vos* ad verbum *Deus.*

4 Hic aduerte, quod huiusmodi capitis inclinatio, non est adeo rigorosè intelligenda, vt non debeat fieri cum aliquo motu corporis, præsertim quando proferuntur plura verba, vt *Gloria Patri, &c. Gratias agimus tibi, & alia* huiusmodi, tunc enim opus est, & humeros aliquantulum inclinare, vt bene aduertit *Bauldr.* *loc. cit. pag. 213.*

§. 3. *De mediocri inclinatione.*

1 **C**elebrans inclinat non solum caput, sed etiam humeros aliquantulum dum dicit.

I. *Deus tu conuersus, &c.* vsque ad *Aufer a nobis exclusiue.*

II. *Oramus te Domine,* vsque ad osculum Altaris.

III. *In Spiritu humilitatis, &c.*

IV. *Suscipe Sancta Trinitas, &c.*

V. *Sanctus* vsque ad *Benedictus*, exclusiue.

VI. Ad vtramque consecrationem, cubitis super Altare positis.

VII. *Ad Agnus Dei,* & tres Orationes ante Communionem.

VIII. Ad *Domine non sum dignus,* & dum se communicat: erigit se tamen, donec se signet cum Hostia.

IX. Denique dum dicit *Placeat tibi Sancta Trinitas, etc.*

§. 4. *De profunda inclinatione.*

1 **S**acerdos profundè caput, & humeros inclinat.

I. Ima-

§. 4. De profunda inclinatione. 245

I. Imagini principali, quæ est in Sacristia, dum vadit; & redit ab Altari capite recto si habeat Calicem, sin minus detecto.

II. In plano ante Altare, ante, & post Missam nudo capite; si adsit sola Crux, & non Tabernaculum cum Sanctissimo.

III. Aptato Calice antequam accedat ad cornu Epistolæ, & iterum antequam descendat in planum, & postquam descendit, antequam incipiat Missam.

IV. Dum dicit *Confiteor Deo*, donec responderit Ministro *Amen*.

V. Dum dicit *Munda cor meum*, etc. ante Evangelium.

VI. Ad Orationes *Te igitur Clementissime Pater*, & *Supplices te rogamus Omnipotens Deus*, vsque ad osculum Altaris.

2 Denique observandum est, quod Celebrans accedens ad medium Altaris, & ab eo recedens facit reuerentiam Cruci non tamen omnino profundam, licet à Rubric. non adnotetur: ita cum *Gauant. Alcozer. et Castald.* docet ex Cæremon. Episcop. *Bauldr. p. 3. c. 5. nu. 8. pag. 214.* quam reuerentiam semper facit, nisi paulo ante recessum, vel paulo post accessum præscribatur à Rubrica, vt quando osculaturus est Altare, & quando dicturus est aliquid, in cuius principio caput inclinari debet, vt cum post Evangelium dicit *Credo*, nam statim caput inclinat dum dicit *Deum*: Idem *rit. 2. de ingres. ad Altare Rubric. 4. nu. 1. pag. 235.*

§ 5. De Genuflexionibus.

I **C**elebrans genuflectit, unico tamen genu, & statim surgit, vt commodius legat.

I. Quan.

I. Quando accedit ad Altare, & ab eo recedit, & postquam descendit, vt incipiat Missam in eo Altari, vbi adest in Tabernaculo Sanctissimum Sacramentum, sed postquam genuflexit, & surrexit non inclinat caput.

II. Quando dicit *Flectamus genua*, non autem in Missa cantata quando dicitur à Diacono.

III. Ad Epistolam in Missa de Cruce, & Dominica Palmarum ad ea verba *In nomine Iesu omne genuflectatur*, & tunc non vertit se ad Crucem; *Bauldr. p. 3. cap. 5. pag. 212. nu. 2. vbi nu. 9.* dicit manere genuflexum vsque ad verbum *Inferorum* inclusivè: non tamen genuflectit dum hæc verba leguntur in introitu.

IV. Ad versum *Adiuva nos Deus*, quando dicitur in Tractu, non autem quando dicitur ad Graduale.

V. In Missa de Spiritu Sancto cum dicit *Veni Sancte Spiritus*.

VI. Ad Evangelium Epiphaniæ *Et proci- dentes adorauerunt eum*.

VII. In Evangelio Feriæ quarta Quadragesimæ *Et proci- dens adoravit eum*.

VIII. In Evangelio S. Ioannis *Et verbum caro factum est*.

IX. In Passionibus ad verba *Expiravit Emisit Spiritum*, & similia, ad quæ manet genuflexus per spatium vnus *Pater noster*.

X. Genuflectitur etiam ad totum versum *Et incarnatus est*, & cum dicit *Et homo factus est*, caput quoque inclinat.

XI. Post consecrationem novies genuflectit, & observa, quod quatuor genuflexiones fiunt cum maiori reuerentia, nempe post vtramque consecrationem, & ante vtramque
sum.

sumptionem, ut alibi notatum est.

XII. Denique dum Sacerdos sibi ipsi imponit cineres, genuflectit utroque genu versus Altare: & solum sibi ipsi imponit, quando non potest ab alio Sacerdote recipere, ut plerumque contingit Sacerdotibus Ruralibus, & tunc nihil dicit, quasi cineres à Deo accipiens, inquit *Bauldr. p. 4. c. 4. art. 2. nu. 3.*

Ex dictis patet, quod genuflexio duplex est, alia quæ fit vnico genu, alia quæ fit utroque.

In Missa, præsertim priuata, fit semper vnico genu, ad maiorem facilitatem surgendi, ut docent *Bauldr. & Gauant. par. 1. tit. 17. nu. 5. liter. Z.* quamuis contrarium probare contendat *Quart. p. 1. tit. 17. dub. 2.* vbi docet, etiam in Missa faciendas esse aliquas genuflexiones utroque genu nempe ad verba, *In nomine Iesu omne genuflectatur, &c.* in Epit. *Veni Sancte Spiritus, &c.* post allel. & *Incarnatus est, &c.* in Passione ad verba *Expiravit, &c.* similia. Deniq; laudabilius ad omnes genuflexiones, quæ fiunt post consecrationem.

Sed hanc opinionem *Quart.* nullus ad praxim reducit, & dubito, an eam idem auctor obseruauerit; & ideo à prima opinione non est recedendum.

Dixi supra, præsertim in Missa priuata, quia in Missa solemnè, quando celebrans cum ministris genuflectit ad ea, quæ cantat chorus, genuflectit utroque genu; & ratio patet ex mox dicendis. At hæc quoad genuflexiones, quæ fiunt in Missa.

Extra Missam verò modo vnicum, modo utrumque genu flectendum est, nec potest assignari facilior regula sequenti. Genufle-

xiones, quæ fiunt cum aliqua mora, utroque genu faciendæ sunt, vnico, quæ sine mora.

Excipiuntur ab hac regula genuflexiones, quæ fiunt coram SS. Sacramento exposito, quæ semper faciendæ sunt utroque genu, vt ex Cærem. Episcop. docet *Bauldr. p. 2. c. 3. nu. 1.* sed etiam istæ genuflexiones communiter fiunt vnico genu, exceptis ijs, quæ fiunt in accessu, & recessu ab Altari, in quo celebratur coram SS. exposito, vt suo loco dicitur.

Hic notandum, quod ad ea, quæ cantantur in choro genibus flexis, Minister, seu Cantor et intonet stando, deinde statim & ipse genuflectit.

Hæc omnia addita sunt ad mentem Alexandri VII. Pontif. Max. qui libellum hunc, non sanctissimis quidem terendum pedibus, manibus excipere, totum legere, eumque sua censura decorare dignatus est, dicens in hoc §. desiderari distinctionem inter genuflexiones, quæ vnico, & eas, quæ utroque genu faciendæ sunt. Sed hæc in prima editione emiseram, cum hic non loquar de genuflexionibus in genere, sed de his solum, quæ fiunt in Missa, quæ cum semper vnico genu fiant: distinctionem adhibendam non censui. Nihilominus, vt tanti Pontificis censuram, ea, qua par est, reuerentia exciperem, hæc pauca addere operæ pretium duxi.

§. 6. *De his, qua memoriter scienda sunt.*

I **S**acerdos memoria mandare debet:
I. Omnia ab initio Missæ vsq; ad Introitum exclusiue, nempe *Psalmum, Confessionem, Aufer à nobis, Oramus te Domine.*

II. *Mun-*

§.6. De his, quæ memor. scien. sunt. 249

II. Munda cor meum.

III. Per Evangelica dicta.

IV. Deus, qui humana substantia.

V. Lauabo inter innocentes, & orate fratres, etc.

VI. Simili modo postquam cenatum est.

VII. Hæc quotiescumque feceritis.

VIII. Per ipsum, et cum ipso.

IX. Hæc commixtio, et consecratio.

X. Panem cælestem accipiam.

XI. Domine non sum dignus, cum cæteris, quæ dicuntur vsque ad ablutionem digitorum, inclusiue.

XII. Benedicat vos omnipotens Deus.

XIII. Denique gratiarum actionem post Missam.

2 Certè valdè conuenit inquit *Bauldr. p. 3. cap. 2. nu. 6. pag. 214.* vt quilibet Sacerdos sciat memoriter ea omnia, quæ ordinariè dicuntur in Missa, præter ea, quæ supra diximus, scilicet *Gloria in excelsis; Credo: Suscipe Sancte Pater: Offerimus; In spiritu humilitatis; Veni Sanctificator; Suscipe Sancta Trinitas* — Canonem, & alia; vt melius, & decentius celebret, & legat ea omnia supradicta; (præsertim ij Sacerdotes, quorum visus, & oculi debiles sunt) Legere tamen debet semper omnia, quantum fieri potest, ne aliquid ei ex memoria decidat.

§.7. De his, quæ clara voce recitanda sunt.

I Clara voce dicuntur in Missa:

I. Omnia ab initio vsque ad *Aufer à nobis*, exclusiue.

II. Ab

II. Ab Introitu, vsq; ad *Munda cor meum*, exclusiuè.

III. Ab Euangelio vsque ad Offertorium, inclusiuè.

IV. Præfatio vsque ad *Sanctus*, exclusiuè.

V. *A per omnia secula seculorum*, vsque ad totam Orationem Dominicam.

VI. *Per omnia secula seculorum; Pax Domini; Agnus Dei.*

VII. Communio, Orationes, *Ite Missa est* vel *Benedicamus Domino*, vel *Requiescant in pace. Benedicat vos Omnipotens Deus*, & Euangelium.

2 Et hæc omnia clara voce dicenda sunt, sed non ad eò strepitose, vt impediatur alij ibidem tunc temporis Celebrantes, vt alibi fufius dictum est, vide *lib. 2. pag. 110.*

§. 8. *De his, quæ mediocri voce dicenda sunt.*

1 **N**ec prorsus secretò, nec prorsus clara voce dicenda sunt:

I. *Orate fratres*, hæc duo tantùm verba reliquum dicitur prorsus secretò.

II. *Sanctus, &c.*

III. *Nobis quoque peccatoribus*, hæc prima verba solum, cætera secretò.

IV. Deniq; *Domine non sum dignus*, tantùm.

2 Cætera omnia in Missa secretò dicenda sunt. Quæ verò secretò dicuntur ita à Sacerdote intra se distinctè, & labiorum motu proferantur, vt seipsum moraliter possit audire; quia surdaster exeo, quod seipsum non audiat, non dedit clara voce proferre, quæ secretò dicenda sunt. Imò omninò surdus, licet (vt probabi-

§ 8
bilius
disp. e
dies
tas su
poter
tract
cent e
sequi
ter ne
& rel
profe
respo
præf
rum
fionib
conti

3
secret
partu
ita cu
quæ
omni
alijs
doce
esse p
lum
tare
gè ab

4
secta
ciant
peru
Fili
chan

bilius docet cum multis *Castropal. de Conf. disp. 6. punct. 11. num. 3.*) sit irregularis ad Ordines suscipiendos, nihilominus, si talis infirmitas superueniat, postquam Sacerdos est factus, poterit ex *Tambur. de Iure Eccles. lib. 10. tract. 4. cap. 8. §. 1. num. 6.* celebrare, quod docent etiam *Nauar. Bonac. Laym.* quos refert, & sequitur *Castrop. loc. cit.* quia non est simpliciter necessarium, ut sacrificans audiat seipsum, & responsiones Ministri, cum satis sit, si verba proferat, & certò moraliter putet, Ministrum respondisse; quod potest etiam cognoscere, præsertim in Psalmo, & Confessione, ex labiorum motu, quod sufficit; nam in alijs responsionibus, cum breuiores sint, vix potest error contingere.

3 Hic nota, quod clara voce recitare, quæ secretò dicenda sunt, est peccatum mortale, nisi paruitas materiæ, aut inaduertentia excusent; ita cum alijs com. docet *Pasqualig. quest. 230.* quæ verò clara voce dicenda sunt, proferre non omninò secretò, sed voce adèd depressa, ut ab alijs non audiatur, licet aliter formari posset, docent al qui apud eundem *Pasqualig. loc. cit.* esse peccatum veniale, ipse verò defendit nullum esse peccatum, licet sit laudabilius ita recitare, ut possint Adstantes, saltem, qui non longè absunt, audire.

4 Hic nota pro scrupulosis, qui verba consecrationis clara voce proferunt ne irritam faciant consecrationem, non esse necesse, ut verba perueniant ad materiam; ita docet ex *Henriq. Filiucc. Suarez, & alijs Bonacc. tom. 1. de Euchar. disput. 4. sect. 2. punct. 6. num. 3.*

§. 9. *Quoties Sacerdos seipsum signat in Missa.*

I **S**acerdos seipsum signat à fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dextrum.

I. Initio Missæ cū dicit *In nomine Patris etc.*

II. Dum dicit *Adiutorium nostrum.*

III. *Indulgentiam, absolutionem.*

IV. Dum incipit Introitum prima vice, nō dicat Missam de *Requiem.*

V. In fine Hymni Angelici dicens *Cum Sancto Spiritu.*

VI. In fine Symboli dicens *Et vitam venturi seculi.*

VII. Cū dicit *Benedictus qui venit post Sanctus.*

VIII. In Canone ad illa verba *Omni benedictione cœlesti, et gratia repleamur.*

IX. Signat se pollice dextræ manus, in fronte, ore, & pectore in principio cuiusq; Euāgelij.

X. Signat se cum Patena ad orationem, *Liberanos*, ad ea verba *cum Beatis Apostolis*, & cū dicit *Da propitius pacem*, Patenam osculatur, yt suo loco dictum est.

XI. Signat se cum Hostia ante Communionem dicens *Corpus Domini nostri.*

XII. Et cum Calice ante sumptionem Sanguinis dicens *Sanguinis Domini nostri.*

2 Modus formandi signum Crucis super seipsum, & super alia fusè traditus est *lib. 2. tit. 3. Rubr. 5. et tit. 12. Rubr. 1. num. 1.*

§. 10. *De percussione pectoris in Missa.*

I **S**acerdos sibi percutit pectus in Missa eo modo, quo dictum est *lib. 2. tit. 3. Rubr. 7. num. 3.*

I. In

§. 1
I I
II.
III.
bis, &
Litanijs
Excipi
IV.
2 R
dictus

§. 11.

I **M**
num A
gnat, p
tur Al
II.
III.
IV.
V.
VI.
VII
VII
2 M
lib. 2.

§. 12

I **S**
I.
II.

§. II. Quando ten. sunt man. iunctæ. 253

I. In Confessione dum dicit *Mea culpa*.

II. *Nobis quoque peccatoribus*.

III. Ad *Agnus Dei*, dum dicit *Miserere nobis*, & percuti etiam dum dicitur *Agnus Dei* in Litanijs docet *Bauld. p. 3. cap. 3. n. 10. pag. 209.*
Excipitur Miss. Def. vt per se patet.

IV. *Domine non sum dignus*.

2 Ritus seruandus in qualibet percussione dictus est *lib. 2. in suis locis*.

§. II. Quando tenenda sunt manus iunctæ.

I **M**ANUS tenentur iunctæ.
I. Ab initio Missæ vsque ad hymnum Angelicum inclusiue, excepto dum se signat, percutit pectus, dicit *Oremus*, & osculatur Altare.

II. Ad Euangelium.

III. Symbolum.

IV. Offertorium.

V. *Preceptis salutaribus moniti*.

VI. Communionem.

VII. *Ite Missa est*, vel simile.

VIII. Denique ad vltimum Euangelium.

2 Modus tenendi manus iunctas traditus est *lib. 2. tit. 3. Rubr. 1. num. 1.*

§. 12. *Quoties Sacerdos stat inclinatus ante Altare manibus iunctis positis super illud.*

I **S**ACERDOS stat inclinatus, manibus iunctis super Altare positis.

I. Cùm dicit *Oramus te Domine*.

II. *In spiritu humilitatis*.

I. In

M 2 III.

III. *Suscipe Sancta Trinitas.*IV. *Te igitur clementissime Pater.*V. *Supplices te rogamus.*VI. *Tres orationes ante Communionem.*VII. *Placeat tibi Sancta Trinitas.*

2 Ad sequentes verò Orationes stat quidem inclinatus, manibus ante pectus iunctis, non tamen super Altare positis.

I. *Munda cor meum.*II. *Sanctus.*III. *Agnus Dei.*

3 Modus tenendi manus iunctas super Altare ante, & post consecrationem in suis locis videri potest *in lib. 2.*

§. 13. *Quoties tenenda sunt manus extensæ, & eleuata.*

I **M**ANUS extensæ, & eleuata tenentur.
I. Ad Orationes, sed extra Missam tenentur semper iunctæ.

II. Ad Præfationem.

III. Sæpius in Canone.

IV. Ad Orationem Dominicam.

2 Ad Epistolam verò non tenentur extensæ, sed positæ super Altare, aut Librum, quod potest etiam manibus sustineri, vt alibi dictum est.

§. 14. *Quoties manus sunt extendenda, eleuanda, & statim iungenda.*

I **S**ACERDOS semper extendit, eleuat, & ita agit manus, cum dicit:

I. *Dominus vobiscum,* præter primum post

Con-

§ 14
Confes
guntur
II.
III.
IV.
V.
VI.
VII.
VII
2 E
quoqu
biferm
in vlti
3 C
nus, ut
quam
que oc
caput

§. 15

I **S**
I.
II.
III
tionem
co dic
IV
V.
VI
VI
VI
tibi g
IX

§ 14. *Quot. manus sunt ext. el. etc.* 255
Confessionem, tunc enim manus non disiunguntur.

II. *Gloria in excelsis Deo.*

III. *Credo in vnum Deum.*

IV. *Orate fratres.*

V. *Veni Sanctificator.*

VI. *Gratias agamus Domino Deo nostro.*

VII. *Te igitur clementissime Pater.*

VIII. *Benedicat vos omnipotens Deus.*

2 Et in his casibus dum illas iungit, caput quoque inclinat, præterquam ad *Dominus vobiscum: Orate fratres, & Veni Sanctificator, &* in ultimis quatuor eleuat etiam oculos.

3 Quando verò dicit *Oremus*, extendit manus, iungit, & statim iterum extendit, præterquam ante Offertorium; sed eas non eleuat, neque oculos versus Crucem, sed tantum ad eam caput inclinat.

§ 15. *Quoties eleuandi sunt oculi in Missa.*

7 SACERDOS in Missa solum eleuat oculos, & statim demittit, dum dicit:

I. *Munda cor meum.*

II. *Suscipe Sancte Pater.*

III. *Offerimus tibi Domine*, ad totam Orationem, secundum *Quartum*, & alios, vt suo loco dictum est.

IV. *Veni Sanctificator.*

V. *Suscipe Sancta Trinitas.*

VI. *Gratias agamus*, dum dicit *Deo.*

VII. *Te igitur.*

VIII. *Et eleuatis oculis in Cælum*, vsq; ad *tibi gratias agens exclusiue.*

IX. *Benedicat vos.*

2 Quando autem eleuat oculos, non exte-
lit caput, & oculos non eleuat ad Cœlum, sed
ad faciem Crucifixi ex *Bauldr. p. 3. cap. 6. ar.*
1. pag. 216.

§. 16. *Quoties osculandum sit Altari.*

1 **S**acerdos osculatur Altare non à lateribus,
sed in medio.

I. Dum dicit *Oramus te Domine*, ad ea ver-
ba *Quorum Reliquia hic sunt.*

II. Ante *Dominus vobiscum* post *Kyrie.*

III. Ante *Dominus vobiscum* ante *Offen-*
rium.

IV. Ante *Orate fratres.*

V. Postea verba Canonis *Supplices ro-*
gamus, ac petimus.

VI. Ad *Orationem Supplices te rogamus*,
post ea verba *ex hac Altaris participatione.*

VII. Post *Orationem Domine Iesu Christi*
qui dixisti, quando daturus est pacem.

VIII. Ante *Dominus vobiscum* post *Com-*
munionem.

IX. Ante *Dominus vobiscum* post vltimam
Orationem.

X. Post *Placeat tibi Sancta Trinitas.*

2 Et quando osculatur Altare ante conse-
crationem, manus extendit, quantum fieri po-
test, extra Corporale, vt alibi dictum est.

3 Ex dictis patet; quod Sacerdos debet os-
culari Altare decies, cum daturus est pacem, vt
fit in *Missa solemni* (excepta semper *Missa De-*
functorum), & etiam in *priuata* quando ad eum
Prælati, vel *Princeps*, alioquin nouies.

Eleuate sursum oculos nouies: in *Missa vari*

De-

Defunctorum octies, cum non detur Benedi-
ctio.

Ponere manus iunctas super Altare se-
pties, & alia, vt supra, ne frustra singula repe-
tantur.

CAPVT SECVNDVM.

*Ritus seruandus in celebratione Missæ coram
SS. Sacramento exposito.*

I **I**N eo Altari, in quo SS. Sacramentum ex-
positum est, celebrandum non esset, vt ha-
bemus in *Cærem. Episc. lib. 1. cap. 12.* & dixi-
mus supra *lib. 1. cap. 2. §. 6. num. 3.*

2 Quia verò vsu receptum est, vt aliquando
etiam coram ipso solemniter exposito celebretur,
opere pretium duxi ea omnia præscribere,
quæ in huiusmodi celebratione seruanda sunt,
iuxta ea, quæ à recentioribus Cæremoniarum
Magistris, præsertim à nunquam satis laudato
R. P. *Michaele Bauldr.* fusius indicantur.

I Statim ac Sacerdos Presbyterium, seu Ca-
pellam dicti Altaris ingreditur, aliquantulum
consistens, caput detegit, porrigens Ministro
Biretum, quod poni non debet, vt alibi dictum
est, neque super Bursam Calicis, neque super
Missale, & cum post Missam regreditur, illud
accipit à Ministro, caputque tegit ibidem.

II. Perueniens ad medium Altaris genufle-
ctit in plana terra vtroque genu, caput quoque
profundè inclinans; alia verò genuflexiones,
præter hanc primam, & ultimam, sient vnico
genu, absque capitis inclinatione, nisi aliter no-
tetur.

III. Mox surgens, recta ascendit ad Altare, & posito Calice in cornu Euangelij, antequam extrahat Corporale de Bursa, genuflectit, postea aperto Corporali, & Calice superposito genuflectit iterum, & accedit ad cornu Epistolæ, unde aperto Libro redit ad medium Altaris, & genuflectit, nullaque interposita mora aliquantulum retrahens se ad cornu Euangelij, descendit in planum, ibique genuflectens super incrementum gradum vnico tantum genu, caput tamen inclinans, erectus incipit Missam, more solito.

IV. Dicto Psalmo, & facta Confessione, antequam ascendat ad Altare non genuflectit, sed postquam ascenderit, antequam incipere Orationem *Oramus te Domine*, &c. & postquam illam dixerit, osculato Altari iterum genuflectit.

V. Antequam incipiat *Kyrie eleison*, in medio Altaris genuflectit.

VI. Dicturus *Dominus vobiscum*, osculatur Altare, genuflectit, & vertit se ad populum in cornu Euangelij, quod semper facit, quoties se conuertit ad populum, quo dicto iterum genuflectit, antequam accedat ad Librum.

VII. Genuflectit quoque ante, & post *Munda cor meum*.

VIII. Genuflectit ante *Credo*, quo dicto osculatur Altare, genuflectit, & conuersus ad populum, vt supra, dicit *Dominus vobiscum*, & conuersus ad Altare genuflectit iterum, & postea dicit *Oremus*.

IX. Antequam accedat ad cornu Epistolæ, vt vinum in Calicem infundat, & iterum reuersus ad medium genuflectit,

X. Di-

X.
oblati
sed ge
quas
na ter
ne, d
to: q
expor
Fa
nu E
stati
facie
corn
uersu
redic
flect
X
quod
culu
C
fium
X
Cali
Ban
flect
able
flect
nen
dix
X
dio
bis
De
of

X. Dicit *Veni Sanctificator*, & benedictis oblatis non iungit manus, nec caput inclinat, sed genuflectit ante, & post lotionem manuum, quas lauare debet extra cornu Epistolæ in plana terra facie versa ad populum; caueat tamen, ne, dum se conuertit, terga vertat Sacramento: quod vt facilius intelligatur clarius exponam.

Facta genuflexione recta incedit versus cornu Epistolæ, & descendit in planum ibique non statim se conuertit ad populum, sed vertendo faciem ad parietem Altaris, & successiuè ad cornu Euangelij perficit circulum, & sic conuersus ad populum lauat manus, quibus lotis, redit ad medium eas abstergens, ibique genuflectit.

XI. Genuflectit ante, & post *Orate fratres*, quod dicit in cornu Euangelij, nec perficit circulum.

Cætera omnia vsque ad Communionem fiunt prout in alijs Missis.

XII. Post sumptam Purificationem posito Calice extra Corporale ad cornu Epistolæ, ex *Bauldr. p. 3. cap. 17. num. 13. pag. 344.* genuflectit, deinde decepto Calice, & in eo facta ablutione digitorum rediens ad medium, genuflectit iterum, ibique in medio Altaris ablutionem sumit more solito; licet aliqui contrarium dixerint.

XIII. Genuflectit antequam discedat à medio dicturus Communionem.

XIV. Genuflectit ante, & post *Dominus vobiscum*; vt dictum est post *Gloria in excelsis Deo*; sed in hoc casu prius genuflectit, postea osculatur Altare,

XV. Dictis Orationibus accedit ad medium, genuflectit, osculatur Altare, & dicit versus ad populum *Dominus vobiscum*, & *In Missa est*, & iterum genuflectit. Si verò dicturus est *Benedicamus Domino*, conuersus ad Altare post *Dominus vobiscum*, prius genuflectit, atquequam illud dicat.

XVI. Ad Benedictionem dicto *Placeat tibi Sancta Trinitas, etc.* osculatur Altare, & dicto *Benedicat vos omnipotens Deus*, caput non inclinatur, sed genuflectit, & conuersus ad populum in cornu Euangelij, illum benedicit more solito, & non perficit circulum, neque redit ad medium Altaris, vt genuflectat, sed in eodem cornu, vbi benedixit populum conuersus ad Altare dicit *Dominus vobiscum*, & legit Euangelium, non signans Altare ad *Initium*, sed *Librum*, solum, aut *Tabellam*, si adsit, si neutrum adsit, signat solum seipsum, & hoc facit, non solum quando Sacramentum est in plano Altaris, sed etiam si esse t altius Altari, vt ex *Castaldo*, & alijs notat *Corsett. tract. 1. part. 1. cap. 15. nu. 32. pag. 91.*

XVII. Dicturus *Et Verbum caro factum est*, genuflectit aliquantulum versus SS. Sacramentum; quod facit etiam ad similia verba, ad quæ solet genuflecti tam in cornu Euangelij, quam in cornu Epistolæ, vt supra dictum est §. 5. de *genuflexionibus*: exciperem solum, quando dicitur *Flectamus genua*, cum nihil; ad quod talis adoratio dirigitur, nominetur.

XVIII. Finito Euangelio accedens ad medium, antequam capiat Calicem, genuflectit, quo capto descendit humeris veris ad cornu Euangelij, vt in principio Missæ, & quando est

in plano utrumque genuflectit caput quoque profundè inclinans, & discedens caput tegit ibi, ubi adueniens dexterat, aliquantum consistens; nec prius Biretum recipit à Ministro.

3. Cùm verò multa supersint notanda circa hanc Missam, & vtile sit aliquid addere de expositione, & depositione SS. Sacramenti pro Oratione 40. horarum, nonnullos §§. subiungam.

§. I. *Aliqua observationes.*

I. Generaliter obseruandum est in supra dicta Missa, quod quando debet osculari Altare, & genuflecti, seruanda est hæc regula.

Cum Sacerdos est iam in medio Altaris, vt post *Kyrie*, & ante *Offertorium*, quando dictum est *Credo*, debet prius osculari Altare, postea genuflectere: cùm verò venit à cornu Euangelij, (vt quando post Euangelium non dicitur *Credo*;) vel à cornu Epistolæ, vt post *Communionem*, & post vltimam *Orationem*, tunc debet prius genuflectere, postea Altare osculari: Ratio horum est, quia genuflexio accedendo ad medium Altaris debet fieri primo loco, recedendo vltimo.

II. Sacerdos nunquam sumere debet paramenta ad Altare, neque ibidem ea deponere, licet sit Episcopus, sed in Sacristia, vel in alio loco remoto, & separato à Presbyterio, *Bauldr. p. 3. cap. 17. num. 21. pag. 347.*

III. Si urgente necessitate in dicto Altari ministraretur Eucharistia, Sacerdos vertens se ad populum cum Sacramento dicturus: *Ecce*

Agnus Dei, &c. stet in medio Altaris more solito, attendens solum ad illud, quod præ manibus habet, & ita seruetur *Feria V. in Cæna Domini*, in Communione, Cleri, cum ibi præscribatur conuersio, ad Communicandos, more solito, & ita habetur in *Cæremon. Episcop. lib. 2. cap. 23*. Sed cum dicit *Misereatur vestri*, & cum dat benedictionem post ministratam Eucharistiam stat in cornu Euangelij, ne tergvertat Sacramento. Huiusmodi tamen Communio populi non esset in dicto Altari facienda.

IV. *CruX* non debet teneri super Altare, quamdiu expositum est Sacramentum, etiam dum celebratur, quam sufficiat amouere finis Missæ, in qua Sacramentum exponitur, ne opus est eam tollere statim post consecrationem; imò *Pasqualig.* probat retinendam esse etiam in alijs Missis, vt dictum est *lib. 1. cap. 2. §. 6. num. 4.*

V. Quando Sacramentum positum est in plano Altaris, siue in Pixidem, siue in Ostensorio, si ibi celebrandum sit, Calix statuitur à parte Euangelij, non in medio, nisi ab Offertorio vsque ad Communionem, vt alibi dictum est, & docet *Bauldr. tit. 10. Rubr. 7.*

VI. Multis in locis, quando Sanctissimum Sacramentum est expositum, in eo Altari, & in alijs vicinioribus, imò in omnibus, in paruis Ecclesijs, non pulsatur campanula ad eleuationem in Missa, quod laudabile est; nam dicta campanula pulsatur solum ad excitandum populum ad adorationem Sacramenti; quod tunc est superfluum, cum adstantes iam acta adorent Sacramentum expositum, & pulsare in hoc casu campanulam, esset potius illos
di-

distrahere, quam excitare. Quod etiam colligi potest ex eis, quæ tradit *Bauldr. p. 1. c. 16. num. 36. pag. 113. de Ministr. Miss. privatæ.* Colligitur insuper ex eo, quod seruetur *Fer. VI. in Parasceue*, in qua non pulsatur instrumentum ligneum ad eleuationem Sacramenti, vt docet idem *Bauldr. p. 4. c. 10. art. 4. num. 18. pag. 436.* & ratio est, quia etiam ante eleuationem iam Sacramentum adest, nam tunc non consecratur: & idè opus non est excitare populum commorantem in actuali ipsius adoratione.

VII. Quando SS. Sacramentum est expositum, licet dicere ipsius Missam votiuam, quia adest sufficiens causa, nisi aliud obstat, vt festum duplex, octaua priuilegiata, vel simile, sicut *Initio lib. 2.* dictum est; & in Missa currenti poterit dici Oratio de eodem, vel loco tertiæ ad libitum, vel addi, vti commemoratio, exceptis duplicibus primæ, & secundæ classis, seruando regulam latam *lib. 2. cap. vnic. num. 7.* Nec obstat, quod *Bauld. p. 3. c. 7. tit. 9. nu. 10 pag. 222.* dicat, ab huiusmodi commemorationibus, quæ fiunt ad libitum, satius esse abstinere, nam ibi loquitur de causa priuata, sed Oratio 40. horarum est causa publica, & idè locum habere potest præceptum, ne dum consilium.

§. 2. *De expositione SS. Sacramenti.*

I. **I**N expositione SS. Sacramenti cantari potest Missa solemnis de eo, cum vnica Oratione, *Gloria, & Credo*, & si cantetur infra Octauam Corporis Christi, dicitur etiam *Sequentia*, licet ea die non fieret *Officium de Octa-*

Octaua; Sed in festis; & Dominicis prima, & secunda classis debent in Cathedralibus, & Collegiatis cantari duæ Missæ, altera de die post Tertiam, altera de Sanctis. post Nonam, vel sola Missa de die cum Commemoratione SS. Sacramenti, *Bauldr. p. 4. c. 16. art. 1. E. nu. 7.*

II. Si verò dicatur Missa priuata de Sacramento diebus tamen non impeditis, vt de Missis votiuis alibi dictum est, dicitur cum pluribus Orationibus. sine *Gloria, & Credo*, & si dicatur Missa de die, addetur Sanctissimi Commemoratione, iuxta ea, quæ dicta sunt supra.

III. In hac Missa siue solempni, siue priuata offeruntur super Patena duæ Hostiæ, quarum vna ponitur ad ad sinistram Celebrantis, hoc est ad cornu Euangelij super Corporale è regione alterius Hostiæ, quæ est in medio, & post consecrationem non eleuatur (cùm vnica tantum eleuanda sit) sed post sumptionem Sanguinis Celebrans (locato Calice à latere Euangelij, ex *Bauldr. loc. cit. art. 3. nu. 2.* quem Palla tegit) facta genuflexione, eam adaptat in Ostensorio, quod tunc, & non prius defertur per Ministrum siue alium ad Altare, illudque statuit in medio Corporalis, colligit fragmenta, & ponit in Calicem, & si in eo vnitæ sint species Sanguinis, reuerenter sumit, antequam accipiat vinum Purificationis: deinde sumit Purificationem, & abluitionem more solito cum debitis genuflexionibus, & accommodato Calice, quem ponit ad cornu Euangelij, non in medio, vt alibi dictum est, absoluit Missam, seruatis ijs, quæ supra *cap. 2.* notata sunt.

Si verò dicatur Missa solempnis, aptata Hostia à Sacerdote Ostensorio, adiuuante Diacono,

cono, Diaconus illud claudit, & statuit in medio.

IV. Si Hostia difficile aptari potest in Ostensorio, poterit aptari in Sacristia, & consecrari in eodem Ostensorio, quod tunc locari debet super Altare initio Missæ retro post Calicem, vel saltem ad Offertorium, & aperiri ad oblationem, & consecrationem, & tunc debet etiam locari prope Hostiam à parte Epistolæ, sicut de Pixide dictum est *lib. 2. tit. 8. Rubr. 5. num. 1.* nec sufficit quod sit super corporale, se debet esse etiam super lapide consecrato, saltem tempore consecrationis; quod si ad consecrationem non aperiatur remanet tamen Hostia consecrata, sicut de Particulis clausis in Pixide, dictum est *lib. 2. tit. 8. Rubric. 5. numer. 7. pag. 234.*

V. Si duæ magnæ Hostiæ haberi non possint, poterit consecrari cum Hostia magna Particula, & in hoc casu ostendetur populo Hostia magna, sed frangetur, & sumetur Particula; Non tamen potest sumi Particula in alia Missa consecrata, quia omninò debet Sacerdos participare de proprio sacrificio, vide *Dian. p. 5. tr. 13. res. 96. Tamb. Meth. Miss. lib. 2. cap. 8. §. 8. nu. 17.*

Contrarium tamen docent *Henriq. et Fagund.* relati à *Dian loc. cit.* quibus adde *Bonnac. to. 1. disp. 4. de Eucharist. quest. ult. punct. 2. nu. 4. Gesuald p. tract. 15. de Sacrif. Miss. tract. 1. cap. 2. num. 12.* & alios, & hoc concedere debent omnes ij, qui dicunt essentiam sacrificij consistere in sola Consecratione, ut videre est apud *Leand. p. 2. de Sacram. tract. 8. disp. 1. quest. 16. et p. 3. in precept. Eccles. tractat. 2. disp. 1.*

disp. 1. quest. 43. quorum opinionem fortasse sequeretur, quando alia via vitari non posset negligentiae nota, & magna populi admiratio.

Nullum tamen modo tolerabilis est quorundam abusus, qui non habentes hostiam magnam consecratam exponunt non consecratam simul cum particula consecrata: id enim non licet, propter periculum Idolatriæ, saltem materialis populi enim adorant totum id, quod expositum est per modum vnius; ita cum *Delug.* & alijs docet *Tamb. Meth. Miss. lib. 2. cap. 8. §. 8. num. 23.*

VI. Post consecrationem acceduntur omnes candelæ, quæ sunt in Altari, quæ in nostra Diocesi non debet esse pauciores duodecim, ex cere alba, semper ardentes, prout in Synodo anni 1645. c. 8. §. 11. & si plures adhibeantur, non debent accendi ad aduentum Principis, & extinguantur ad eius recessum, prout monemur in Rituali eodem anno iussu Petri Nicolini Archiepiscopi impresso.

VII. Finita Missa Celebrans non deponit Planetam, nisi facienda sit Processio, (nam tunc descendens per gradus laterales in cornu Epistolæ, Planeta cum Manipulo deposita, accipiet Pluuiale:) sed facta in medio genuflexione descendens genuflectit super suppedaneum, ubi aliquantulum orat donec adueniat Acholitus cum Thuribulo; & tunc surgens imponit thus sine benedictione, ministrante Thuribulum Acholito genuflexo, & Nauculam Diacono aliquantulum inclinato, & quando adhibetur Pluuiale, Subdiaconus genuflexus in suo loco illud aliquantulum eleuans, ne impediatur Celebrantem, dum thus imponit;

VIII. Im-

VIII. Imposito thure Celebrans genuflexus accipit Thuribulum de Manu Diaconi, qui omittit oscula, & incensat SS. Sacramentum, triplici ductu cum profunda inclinatione ante, & post, & dum incensat eleuatur Pluuiale, siue Plana neta ab eo tantum Ministro, qui est à dextris Celebrantis; deinde inchoatur à Cantoribus Hymnus *Pange lingua*, qui dicitur integer, quoties exponitur Sanctissimum Sacramentum, & cantatur vltimus versus *Genitori Genitoque*, etiam si pulsentur organa, & sic semper seruandum in omnibus hymnis, quia, cum in vltimo versu consistat laus Trinitatis, debet voce exprimi.

IX. Dum canitur hymnus, Diaconus, siue alius cum Stola adaptat Sacramentum in suo loco, ita opportunè, vt cum dicitur *Tantum ergo Sacramentum*, sit expositum adorationi, & finito Hymno Celebrans post versum *Panem de Cælo surgit*, & dicit *Dominus vobiscum* & Orationem *Deus qui nobis*, cum conclusione *Qui viuus, & regnas per omnia secula seculorum*. Deinde genuflexus orat aliquantulum, surgit, & descendens genuflectit cum alijs in plano vtroq; genu, & discedit sumens Biretum, & caput tegentes extra presbyterium.

Si verò dicta fuerit Missa priuata, postquam orauit aliquantulum surgit, ascendit ad Altare, genuflectit, accipit Calicem, & descendens genuflectit in plano vtroq; genu, &c.

X. Hic notandum est, quod materia, quæ adhibetur in incensatione debet esse solum Incensum purum, vel si ei aliquid aliud admisceatur, aduertendum est, vt quantitas thuris adiectam materiam longè superet: ita docent

cent DD. communiter, & videri potest *Corsett. tract. 1. p. 1. cap. 10. nu. 1.*

XI. Notandum 2. quòd quando imponitur thus pro incensatione SS. Sacramenti, non benedicitur, nisi thurificandum sit etiam Altare, tunc enim benedicitur thus more solito; omittuntur tamen semper in utroque casu oscula tum cochlearis, & thuribili, tum manus Sacerdotis.

Limita tamen feria 6. in Parasceue, in qua licet incensandum sit etiam Altare, non tamen incensum benedicitur, vt pater ex propria Rubrica, & docent communiter DD. sicuti eadem die Parasceue; incensatis oblatis, non est incensanda Crux, quod colligitur ex Rubrica, quæ dicit, *quibus incensatis, incensat Altare more solito*: si enim incensanda esset Crux eam nominaret, aut diceret *prosequitur incensationem more solito*; sed dum nominat Altare, & non Crucem, manifestè apparet, incensationem Crucis esse omittendam, & ratio mihi est euidentis; nam incensato figurato, nempe Sacramento, superfluum est incensare figuram, nempe Crucem. Idem esset dicendum, si vbi est expositum SS. Sacramentum, asseruaretur super eodem Altari etiam Crux, (vt vult cum alijs *Pasqua. lig. supr. cit. lib. 1. c. 2. §. 6. nu. 4.*) militat enim eadem ratio, & hoc obiter dictum.

XII. Notandum 3. quòd quando dicitur versus *Tantum ergo Sacramentum, vel O salutaris Hostia, etc.* in Vesperis, & Matutinis coram SS. Sacramento etiam in Tabernaculo incluso, genuflectitur, secus si nullo modo adsit Sacramentum; *Bauldr. p. 2. cap. 3. num. 2. pag. 128.* tunc enim non genuflectitur, sicuti etiam, quando huiusmodi Versus, vel similes dicuntur

in

in processione extra Ecclesiam.

Intra Ecclesiam verò genuflectitur, nisi concursus populi, & multitudo Clericorum id impediunt; Idem *p. 4 c. 16. art. 3. nu. 13 pag. 487.* contraria tamen viget consuetudo.

XIII. Notandum insuper, quod, quando SS. Sacramentum est expositum, non aspergitur Altare post Tertiam, & ad Completorium, vt bene aduertit *Gauant. p. 4. tit. 19. pag. 245.*

XIV. Diximus supra *nu. 11.* quando imponitur thus pro incensatione SS. Sacramenti, benedicendum esse more solito, si incelandum sit etiam Altare, vt fit ad *Benedictus*, & ad *Magnificat*; hinc vero addere libet modum imponendi thus in Thuribulum, imponitur autem, vt infra.

Sacerdos accepto cochleari sinistram tenens infra pectus positam, ter è nauicula thus accipit & ter immittit in Thuribulum tribus distinctis locis, (nempè in medio, à dextris, & à sinistris,) dicens; *Ab illo benedicaris, in cuius honore cremaberis; Amen.* Quæ verba sic dispensat, vt in prima thuris impositione dicat *Ab illo benedicaris*, in secunda *in cuius honore*, in tertia *cremaberis, Amen*; & statim reddet cochlear Diacono, deinde dextera manu signabit thus in Thuribulo adhuc aperto, nihil dicens. Ad Oblata verò seruat idem ritus, sed non eadem verba: dicitur enim *Per intercessionem, etc.* Plura videre potes apud *Baul. p. 2. c. 9. art. 2. pag. 141.*

§. 3. De depositione SS. Sacramenti.

I. **D**Ecet, vt SS. Sacramentum deponatur hora opportuna, ad eò vt mulieres, quæ interfunt functioni, possint ad suas domos di-

diuertere ante noctem . Vbi verò SS. exponitur per 40. horas continuas , vt habetur in Diplom. Apostolic. noctu ianuar̄ semper claudantur , nec fœminar̄ ingredi permittantur ; ita in *Florent. Synodo anni 1645. tit. 1 c. 8. §. 12.*

II. Sacerdos itaque indutus Amictu , Alba , Cingulo , Stola , & Pluuiali albi coloris , accedit ad Altare medius inter Diaconum , & Subdiaconum , (si facienda sit Processio ,) eleuantes fimbrias Pluuiialis , vtrumq; sine Manipulo , & solum Diaconum cum Stola , præcedentibus alijs omnibus binis , & ingressus Presbyterium caput detegit , & facta genuflexione in plano vtroque genu , cum capitis inclinatione , surgens ascendit vsque ad vltimum gradum Altaris , & genuflectit super suppedaneum , ibique manet genuflexus , donec post Litanias , quæ intonantur per Cantores respondente Choro , dixerit omnes Preces vsque ad *Dominus vobiscum* , exclusiuè ; quod dicit cum omnibus Orationibus , stans manibus iunctis subtinentibus hinc inde Librum ante ipsum Ministris super suppedaneo genuflexis , qui tamen , dum dicuntur Litaniar̄ , manent genuflexi in inferiori gradu post Sacerdotem .

III. Preces regulariter dicuntur eæ , quæ sequuntur Litanias post septem Psalmos Pœnitentiales , nisi aliter imperetur à Superiore ; & quando aliæ dicendæ sunt , concluduntur semper cum eadem conclusione , quæ est in fine supradictarum Precum , scilicet dicto *Per Dominum nostrum , etc.* additur *Dominus vobiscum . Exaudiat nos , etc. Fidelium anima , etc.* etiamsi in aliquibus Ritualibus in Precibus particularibus talis conclusio omittatur .

IV. Hic

IV. Hic obiter nota, quod dictæ Preces omitti poterunt, & dici solum Hymnus: *Pange lingua*, vel *Tantum ergo Sacramentum*, vel quid simile, cum versu *Panem de Cælo*, & Oratione, si musicis fortasse sacris cantionibus, vel concionibus populus fuerit satis detentus, ita monet *Bauldr. p. 4. c. 16. art. 11. num. 18. pag. 498.*

V. Finitis Orationibus, Sacerdos stans immediatè imponit thus, & incensat Sacramentum eo modo, quo dictum est supra §. 2. *de expositione*; Sed si Acolytus non sit promptus cum Thuribulo, expectat illum genuflexus, interim orans.

VI. Post incensationem intonatur à Cantoribus *Pange lingua*, & dum cantatur: deponitur per Diaconum, si adsit, vel per alium Sacerdotè cum Stola, SS. Sacramentum, ita opportunè, vt cum dicitur *Tantum ergo*, sit accommodatum super Altare, expositum adorationi, vt supra notatum est.

VII. Finito Hymno Sacerdos stans dicit *Domine vobiscum*; & Orationem cum conclusione *Qui visis, et regnas per omnia secula seculorum*: quibus dictis genuflectit, & accipit velum super humeros, & ascendens genuflectit, vertit Ostensorium, & velatis manibus illud accipit, & conuertens se ad populum à parte Epistolæ cum Sacramento illum benedicit hoc ritu.

VIII. Cùm stat ante populum Ostensorium ante pectus tenet; tum eleuat illud decente mora, non supra caput, sed tantùm vsque ad oculos, & eodem modo illud demittit infra pectus: mox iterum recta illud attulit vsque

vsque ad pectus, & deinde ad sinistrum humerum ducit, & reducit ad dexterum, & rursum ante pectus reducit, ibique aliquantulum sistit; quasi peracta ad omnes mundi partes Crucem, eam etiam venerandam omnibus præbeat; tunc gyrum perficiens collocat Ostenforium super Altare, *Bauldr. par. 4. cap. 16. art. 3. num. 34. pag. 481.*

IX. Dum Sacerdos benedicit populum nihil profus dicit, Musicis quoque, & Cantoribus silentibus; possunt tamen pulsari Organa suauifono, & graui, vt ad eleuationem; Diaconus verò, & Subdiaconus, siue alij hinc inde genuflexi, & inclinati, facie versa ad Sacramentum, eleuant partes anteriores Pluuiæ.

X. Deposito Sanctissimo Sacramento à Sacerdote super Altare, ipse statim facta genuflexione descendit, & genuflectit in secundo gradu; tunc Subdiaconus, vel alius amouet ab eo velum, ascendente interim Diacono ad Altare, qui facta genuflexione aperit Tabernaculum, & in eo posito Ostenforio genuflectit iterum, antequam ostiolum claudat.

XI. Si verò Tabernaculum sit adeò paruum vt Ostenforium non capiat facta genuflexione, & aperto Tabernaculo extrahit Pixidem, qua aperta, & aperto simul Ostenforio, genuflectit, & Sacramentum ponit in illa, & antequam eam claudat, genuflectit, claudit, & in Tabernaculum mittit, & antequam ostiolum claudat, genuflectit iterum.

XII. Caueat autem dum mittit Sacramentum in Pixidem, ne illud tangat, quo si forte tetigerit, abluat digitos in vase Purificationis, quod debet esse super Altare.

XIII. Si

XIII. Si non adsit Diaconus, ipse Sacerdos Pluiali indutus, vel alius cum Superpelliceo, & Stola reponet Sacramentum eo modo, quo dictum est. Quibus peractis, descendunt omnes, & vnicum genu flectentes super infimo gradu, testis capitibus redeunt in Sacriltiam eo ordine, quò ante venerunt.

§. 4. De Processione Sanctissimi Sacramenti in Depositione ipsius, et alijs obseruatione dignis.

I. **S**I facienda sit Processio, finitis Precibus, & facta incensatione Sanctissimi Sacramenti, Sacerdos accipit velum; vt supra dictum est; deinde surgit Diaconus, & cum debita genuflexione accepto Ostensorio, stans illud porrigit Sacerdoti genuflexo, qui illud accipit velatis manibus, dextera nodum ipsius tenens, & sinistram infra nodum ponens: tunc Diaconus facit genuflexionem, & statim simul omnibus surgentibus, Diaconus, & Subdiaconus mutant locum, & Sacerdos ascendens super suppedaneum, vertit se ad populum, eleuantibus hinc inde Ministris Pluiale.

II. Interim intonatur per Cantores *Pange lingua*, & inchoatur Processio, quæ, quantum fieri potest, ducenda est à latere Euangelij, ad latus Epistolæ; *Bauldr. p. 4. cap. 16. art. 3. num. 22. pag. 478.* in cuius fine ascendit Sacerdos vsque ad vltimum gradum, & stans porrigit Ostensorium Diacono genuflexo supra suppedaneum, qui surgens (genuflectente Sacerdote, non tamen velum deponente, ex *Bauldr. loc. cit. num. 29.*) locat illud in medio

Altaris super Corporali, siue Palla, quorum alterum semper supponi debet Sacramento, & facta genuflexione descendit, & ministrat incensum Sacerdoti, qui stans imponit thus, & incensat Sacramentum, vt supra, repetentibus interim Cantoribus *Tantum ergo*, & *Genitori Genitoque*, vel quid simile; dicitur *Ÿ. Panem de Cælo, etc. Dominus vobiscum*, & Oratio, & datur benedictio, & fiunt alia omnia, quæ supra notata sunt.

III. Hic aduerte, quòd, quando exponitur, seu deponitur Sanctissimum Sacramentum ab Episcopo, post versum *Panem de Cælo*, dicit immediatè *Oremus*, cum in Cœremoniali Episcop. non apponatur *Dominus vobiscum*.

IV. Huiusmodi Processio fieri potest tum in Expositione, tum in Depositione Sanctissimi Sacramenti; sed in nostra Diœcesi Synod. Constitut. anni 1645. tit. 1. cap. 8. §. 7. cautum est, ne fiat extra Ecclesiam, & quia Sanctissimum Sacramentum non tenetur expositum 40 horis continuis, sed spatio trium dierum, Processio conceditur solùm in Depositione ultimi diei; & sicuti ex consuetudine fiat etiam in Expositione primi diei, (quod permittitur in Rituali Petri Nicolini supra citato) in fine Processionis non datur Benedictio; *Bausdr. loc. cit. art. 12. nu. 9. pag. 500.*

V. Alijs diebus cantatur mane *Pange lingua*, cum versu, & Oratione, & Vespere Litaniæ, & Preces, vt supra notatum est.

VI. Hic aduerte, quod in fine aliarum Processionum, quæ fiunt siue cum Sanctissima Cruce, siue cum Reliquijs Sanctorum, & Scris Imaginibus, non debet dari benedictio cum

cum n
cum S

VI
debet
in ea
poter
tifica
Missæ
ex Ca
num.

VI
hora
Missæ
sa, se
spect
parte
Laic
nota

IX
Sacr
ob a
uem
aute
rect
suffi
tum
ad b
blic
Reg
sus
Mai
rit.
re
dici
è T

cum

cum nullibi talis benedictio præscribatur, nisi cum Sanctissimo Sacramento.

VII. In depositione ultimi diei purificari debet Lunula prius diligenter discussa, ne vllum in ea fragmentum remaneat: purificari autem poterit in vase purificationis digitorum, & Purificatorio abtergi, sed si purificetur intra Missam, purificabitur vino supra Calicem, vt ex *Castald. docet Corsett. tract. 1. p. 1. cap. 14. num. 18.*

VIII. Hostia, quæ pro dicta Oratione 40. horarum, vel simili exposita est, consumitur in Missa à Sacerdote non simul cum Hostia Missæ, sed post sumptionem Sanguinis, cum non spectet ad idem Sacrificium, nec decet illam in partes diuisam dispensare pro communione Laicorum, quæ omnia *lib. 1. cap. 1. §. 6. nu. 24.* notata sunt.

IX. Aliquando contingit, vt Sanctissimum Sacramentum exponatur ad modicum tempus ob aliquam priuatam causam, vt propter grauem infirmitatem alicuius Magnatis. Tunc autem exponitur clausum in Pixide albo velo recta super portam Tabernaculi, ardentibus in sufficienti numero candelis super Altare ornatum pallio Officio conueniente; nec requiritur ad hunc effectum licentia Ordinarij; sed publica, & solemnis expositio prohibita est etiam Regularibus, nisi accedat Ordinarij consensus, vt patet ex Decr. Sacr. Rit. Congreg. 27. Maij 1603. relat. in *Florent. Synod. ann. 1637. tit. 19.* quibus tamen conceditur illud exponere super Ostiolo Tabernaculi modo supra dicto, vel etiam in Ostensorio, dummodo è Tabernaculo non extrahatur, & velatum

remaneat, ita vt ipsa Hostia videri non possit, vt patet ex eodem Decreto.

X. Quando Tabernaculum aperitur Sacramentum quidem more solito incensatur, sed nullæ Preces dicuntur; quod etiam seruatur, quando clauditur, & tunc secundum *Bauldr.* p. 4. cap. 16. art. 13. num. 7. pag. 503. præter incensationem possunt aliqua cantari, vt Litaniæ Sanctorum, vel alia huiusmodi; sed hoc non est in vsu.

§. 5. *De qualitate Paramentorum in expositione SS. Sacramenti.*

Quia verò sæpius in anno contingit Sanctissimum Sacramentum exponere operæ pretium est aliquid dicere, de qualitate Paramentorum.

I. Quando exponitur pro suffragijs Defunctorum, Pallium Altaris, & Pluuiiale albi coloris adhibenda erunt, (& idem dicendum videtur de alijs ornamentis Altaris,) licet parietes colore nigro vestiantur.

II. In VI. Ferijs, & Dominicis Quadragesimæ, vbi recolitur memoria Passionis Christi, color violaceus adhibendus est, & quidem etiam quoad Pluuiiale.

III. In alijs Dominicis per annum, in quibus fieri solet Processio. Pallium Altaris erit coloris, iuxta rationem Officij, Pluuiiale verò coloris albi; *Cæremonial. Barnab. lib. 1. cap. 13. de qualitat. param. pag. 97.* idem seruandum videtur, quotiescumque Sanctissimum Sacramentum exponitur post Missam solemnem; sed quando exponitur post vespèras, cum diui-

siuina officia tunc temporis persoluta sint, factius esset (si commodè fieri potest) adhibere etiam pallium Altaris coloris albi.

Hæc omnia ex *Carem. Barnab. lib. 1. cap. 13. de qualit. param pag. 97.*

IV. Quando autem exponitur clausum in Pixide ob infirmitatem alicuius Magnatis, Pallium Altaris erit coloris Officio conuenientis; Pixis verò semper velo albo tegenda, vt §. *anteced. num. 9. ex Bauldr.* notatum est; quod etiam dicendum de Stola, & Pluuiali, si adhibeatur.

V. Quia verò aliquando exponitur eodem modo pro ijs, qui supplicio mortis plectendi sunt, tunc non erit incongruum ornare Altare Pallio violacei coloris, vt supra de Dominicis, & Ferijs *Quadragesimæ* dictum est. Velum tamen Pixidis, Stola, & Pluuiale, si adhibeatur, sint albi coloris, iuxta ea, quæ superius notata sunt.

VI. Quòd autem non sit incongruum vt Pallio coloris violacei, deduco ex supradictis; nam iuxta ea, quæ ex *Bauldr.* dicta sunt §. *antecedenti num. 9.* Altare ornandum esset in hoc casu Pallio coloris Officio conuenientis, vnde in *Quadragesima* adhibendus esset color violaceus.

VII. Ex quibus sic infero. In *Quadragesima* Altare ornandum esset Pallio violaceo ex necessitate; ergo extra *Quadragesimam* adhiberi poterit eiusdem coloris ex congruentia. Ille enim necessitatis color sacrum quemdam horrorem, maioremque deuotionem fidelium animis videtur incurere.

VIII. Imò secundum opinionem *Quar.*

qui p. 1. tit. 18. dub. 3. docet Pallium Altaris etiam in Missis priuatis debere conuenire cum colore Missæ, non Officij, adhibendum esse omnino Pallium violaceum, cum in hac occasione dicatur Missa pro remissione peccatorum; in tantum enim *Bauldr.* dixit adhibendum esse colorem Officij, in quantum supposuit Missam concordare cum Officio, vel potius conformauit se cum opinione *Gauant.* docentis, in Missis priuatis colorem Altaris concordare debere Officio, non Missæ. Sed in hoc casu libet sequi opinionem *Quart.* quam idem validis rationibus confirmat, vt dictum est *lib. 1. cap. 3. §. 12. num. 6.*

IX. Secus dicendum si SS. exponeretur visibile in Ostensorio; tunc enim color albus omnino adhibendus esset, vt dictum est supra *num. 1.* pro suffragijs Defunctorum; magna nimirum differentia est inter solemnem SS. expositionem, & solam Tabernaculi aperitionem, vt per se patet.

X. Nihilominus, si celebretur in eo Altari, seruentur omnia, ac si esset solemniter expositum; vt fit Feria V. in Cœna Domini, etiam si SS. Sacramentum sit in Calice, Palla, Patena, & velo coperto.

C A P V T T E R T I V M.

De cultu SS. Crucis exhibendo.

I. **S**ANCTISSIMAM Crucem, in qua Christus Dominus Redemptionis nostræ pretium persoluit, cæteraque Passionis eius Instrumenta adoranda esse cultu Latræ, quamuis multi dubi-

ostauerint; imò etiam nonnulli negare ausi sunt, nihilominus nullus amplius dubitandi locus relinquitur, cum id à Sacris Concilijs, præsertim verò à secunda Nicena Synodo fuerit definitum.

II. Quod verò decretum fuit de vere Cruce, obseruandum etiam est de alijs Crucibus, & Imaginibus Christi; ita docent cum *D. Thomas part. 3. quæst. 25. art. 3. & 4.* Doctores communiter.

III. Sed sciendum est, communem esse, & veram antiquorum Doctorum sententiam, quod Christi, ac Sanctorum Imagines; & Reliquiæ secundum se, & absolutè cultum, & reuerentiam non mereantur, sed respectiuè solum, quatenus ordinem alicuius repræsentationis habent ad ipsum prototypum, seu exemplar, ita vt totus affectus internæ submissionis ad prototypum referatur; qui secus faceret Idololatriæ scelus ex communi DD. sententia, admitteret.

IV. Cultus itaque, qui Sanctissimæ Crucis exhibetur, illi non competit, quatenus Crux est, sed quia repræsentat Christum, qui passus est in illa, & quem in ea adoramus.

V. Et quo ad adorationem eodem cultu adoranda est vera Crux, quo aliæ Cruces, nam eodem omnes modo repræsentant Christum pro nobis Crucifixum. Consentaneum tamen est, vt maiori cum diligentia custodiat; sicut enim maioris æstimationis apud nos sunt ea omnia, quæ rarius inueniuntur, tãtò magis hæc, quæ non solum fuit sola, verum etiam, quia ex contactu Christi Corporis sanctificata est.

VI. Sed quamuis tam veræ Crucis, quam

eius Imaginibus Latriæ cultus debeatur; disti-
 guit tamen *Tamburin. in Decalog. lib. 2. cap.*
4. §. 1. num. 4. & 5. dicens, illi deberi per con-
 iunctionem, his verò per significationem.

VII. Secus dicendum cum *Castropal. to. 2.*
tract. 8. disp. 1. punct. 4. num. 8. de alijs Instru-
 mentis Passionis Christi, quibus quamvis idem
 Latriæ cultus exhibeatur, non tamen eorum-
 dem Imaginibus; ratio disparitatis est, quia
 Crux semper assumitur non solum ad repræ-
 sentandam Crucem, in qua Christus pependit,
 sed etiam ad repræsentandum Ipsum ibidem
 pendentem. Alia verò Instrumenta non ad re-
 præsentandum Christum passum assumuntur:
 ac proinde cuicumque Cruci semper Latriæ ho-
 nor debetur; secus alijs Instrumentis. Aliquan-
 do tamen efformantur ad repræsentandam
 Christi Passionem, & tunc veneratione digna
 sunt, quia verè sunt Imagines Christi pro nobis
 passi; sic *Suarez p. 3. quæst. 25. disp. 56. sect. 2.*
 relatus ab eodem *Castropal. loc. cit.*

VIII. Quod autem cultus, qui Cruci exhi-
 betur, ipsimet Cruci non debeatur, sed Christo
 per illam repræsentato, manifestè constat; quia
 nulli creaturæ irrationabili secundum se cul-
 tus aliquis adhiberi debet, utpotè rei inanima-
 tæ, quæ intellectu carens incapax est honoris,
 & laudis.

IX. Et hanc doctrinam tradidisse videtur
Trid. Sess. 25. de Sac. Imag. vbi dicit; Imagi-
nes Sacras in Templis habendas, & debi-
tum eis honorem, ac reuerentiam impertienda
esse, non quia credatur inesse aliqua in eis di-
uinitas, vel virtus, propter quam sint colen-
da, &c. Sed quoniam honor, qui eis exhibe-

referetur ad prototypa, qua illa representant; ita ut per Imagines quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus; & Sanctos, quorum illa similitudinem gerunt, veneremur.

X. Quod optimè etiam declaratum fuit à Leontio Episcopo Neopoleos Act. IV. Synod. VII. relato à Laym. lib. 4. tract. 7 cap. 5. nu. 9. *Quemadmodum* (inquit illæ) *genuini filij peregrinante longo tempore patre, ingenti amore, & animo erga eum affecti, quicquid illius in domo viderint, siue baculum, siue sedem, siue chlamydem, hæc omnia cum lacrymis attréctantes amplexantur, non illa secum dum se venerantes, sed patrem desiderantes: sic & nos fideles omnes Christi Crucem tamquam virgam adoramus; ut sedem verò, & cubile illius ter Sanctum Sepulcrum; præsepe vero, & Bethleem, reliquaque illius habitacula, ut domum.*

XI. Et Greg. I. lib. 7. Epist. 53. ad Secundinum, dicit: *Scio, quod Imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ut ob recordationem filij Dei, in eius amore recalescas, cuius Imaginem te videre consideras. Et nos quidem non quasi ante Diuinitatem, ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per Imaginem, aut natum, aut passum, sed in throno sedentem recordamur.*

XII. Et Sanctus Hieronymus in Epistola de obitu Pauli dicit: *Prostrata ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat; Multa alia multi, quæ hic recensere non est opus.*

XIII. Ex dictis patet Crucem, & imaginem Domini Latria colendas, non secundum se, & absolutè, sed respectivè, & concomitanter, ut benè docent *S. Bon. S. Thom. Durand.* & alij communiter. Nam sicuti Christum apprehendimus, & cognoscimus per Crucem, & Imaginem, ita etiam eundem colimus, & adoramus, non quòd Imago sit terminus adorationis, sed uti via, ac medium; ita *Layman. lib. 4. tract. 7. cap. 5. num. 10.*

XIV. Sed quomocumque debeat Latria Cruci, dubitari potest, quibus nam signis externis talis Latria cultus demonstratur.

Ad quod respondeo ex eodem *Laym. lib. 4. tract. 10. cap. 2. de Idololatria, num. 4.* quod externa cultus signa, quaedam sunt propria Latriæ, idest ex communi hominum usurpatione instituta tantum ad protestandam supremam Excellentiam, & Dominium Dei; cuiusmodi sunt Sacrificium, & quæ ad ipsum spectant, videlicet, Templum, Altare, & huiusmodi. Alia verò signa sunt indifferentia ad Latriam, & Duliam; quemadmodum sunt capitis inclinatio, genuflexio, suffitus quoque, siuè incensum, quæ omnia secundum se indeterminata, determinantur ex intentione mentis; ita ut, si Deo exhibeantur, Latriæ, si B. Virgini, Hypodulix, si verò Sanctis, Dulix speciem præferant.

XV. Quod etiam præclarè confirmat *Less. de Inst. & Iure lib. 2. cap. 38. de Sacrif. & adorat. dub. 1. num. 5.* dicens, omnem externam adorationem secundum se esse adiaphoram, & posse tam Creaturis, quàm Deo exhiberi; Nam genuflexio, inquit ille, & totius corporis in-

Oram prostratio (qua summa videntur adorationes) etiam hominibus exhiberi solent, ut ex scripturis patet; Gen. 43. & 50. 3. Reg. 1. 4. Reg. 4. Act 10. Itaque à sola intentione pendet, quod per hac, ista, vel illa honoris species deferatur.

XVI. Quod autem externa cultus signa indeterminata sint, facile comprehendere potest etiam ex ipsis Cæremonijs Ecclesiasticis; nam genuflectimus quoque ad verba *Aue Mariæ Stella*, & tamè Beatissimæ Virgini Mariæ Hyperdulix, non Latriæ cultum, qui soli Deo debetur, exhibemus; genuflectimus quoque ante Reliquias, & Imagines Sanctorum, quos Dulix cultu solummodo veneramus.

XVII. Ex dictis patet omnia signa adorationis ad placitum in priuata Oratione adhiberi posse.

XVIII. In Functionibus verò sacris quando hoc, vel illud signum adhiberi debeat, standum est Rubricis, & Cæremoniarum Magistris.

XIX. Et quidem quoad Crucis adorationem *Michael Bauldr. in suo Manual. Sac. Cæremoniar.* dicit ab omnibus semper Crucifaciendam esse genuflexionem, præterquam à Canonicis, & Celebrante; ita p 2 cap. 1. num. 4. pag. 121. ubi de *Disciplina in Choro seruanda.* Et hoc ex *Cæremon. Episcop. lib. 1. cap. 18.*

Quod tamen, ut idem Doctor conqueritur, à paucis obseruatur, & à multis non rectè negligitur; ita cap. 3. num. 1 pag 128 Et cap. 9. art 2. num 5. pag. 143. de *Thurificat.* addit, Celebrantem (idem dicendum de Canonicis) non debere genuflectere, sed solum profundè

se inclinare Cruci, etiamsi sit in ea particula
veræ Crucis.

XX. Quod etiam colligi potest ex ipsa Rubrica Missalis, quæ loquens de ingressu Sacerdotis ad Altare præcipit tantummodo genuflexionem in casu, quo ibi sit Tabernaculum cum Sanctissimo Sacramento: quod si à Celebrante facienda esset genuflexio etiam veræ Crucis, id addidisset; sed cum non addiderit, & alioquin cultus Patriæ exprimat, ut dictum est, per profundam capitis inclinationem, credi potest Ecclesia hoc fecisse ad distinguendum cultum externum exhibendum Cruci ab eo, qui exhibetur Sanctissimo Sacramento, cum in hoc adoretur Christus præsentialiter, inquit *Tambur. in Decalog. lib. 2. cap. 4. §. 1. n. 3.* in illa verò repræsentatiuè.

XXI. Hæc autem dicta sufficiant ad demonstrandum, quod licet Crux Patriæ Cultum eo modo, quo dictum est, mereatur; non tamen sequitur, genuflexionem illi necessario ab omnibus exhibendam esse.

XXII. Ex quibus patet, quod quando incensatur Sanctissima Crux, vel aliud instrumentum Passionis Christi, incensari non debent flexis genibus, & si coram ipsis recitentur diuina Officia recto capite sedendum est. Cultus enim incensandi flexis genibus, & sedendi capite aperto Sanctissimo Sacramento tantummodo competit.

XXIII. Verum quidem est, quod licet diximus cum *Bauldr.* Celebrantem, & Canonicos non debere genuflectere Cruci, etiamsi in ea sit pars veræ Crucis, id tamen non habet locum in FERIA 6, Parasceues, in qua ipse quoque Celebrans,

beans, etiam Episcopus, tanto magis Canonici genuflectere debent cuilibet Crucis in honorem Crucifixi Domini; ita *Gauant. part. 4. tit. 9. num. 13. lit. S. pag. 207.* ubi dicit. *Celebrans assurgit transeunti Crucis, cui genuflectis cum Subdiacono, quod hodie faciunt omnes omninò in honorem Crucifixi Domini.* Idem confirmat etiam *Bauldr. p. 4. cap. 10. art. 2. de Fer. VI. Parasceue. num. 4. & art. 3. num. 31.* ubi loquens de accessu ad Altare dicit, *Omnes, etiam Celebrans, genuflectunt.*

Imò aduertendum est, quòd omnes, prater celebrantem, genuflectunt transeuntes ante Crucem in toto triduo passionis Domini; & hoc seruari etiam ab Eminentiss. DD. Card. in sacello Pontificis, docet idem *Bauldr. de fer. 6. in Parasceue, art. 4. nu. 8.* ex *Castaldo* referente declarationem Sac. Rit. Congr.

XXIV. Non excipiuntur quoque Canonici, quoties in Choro canitur ad Hymnum, *Vexilla, O Crux aue spes unica, &c.* ad quem versum omnes similiter semper genuflectunt, etiam tempore Paschali: genuflexiones enim tunc temporis non prohibentur ad ea, quæ adorationem requirunt; ita eidem *Bauldr. p. 2. cap. 3. num. 2. pag. 128.*

XXV. Ad multa quoque alia debent etiam Canonici genuflectere, sed cum de adoratione tantum Crucis proposita sit difficultas, pluribus non est opus: Laus Deo, eiusque Virgini Matris decus, & Gloria.

F I N I S.

DECRETVM

SANCTISS. D. N.

ALEXANDRI VII.

Feria V. die 24. Septembris 1665.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ,
& vniuersalis Inquisitionis habita in Pala-
tio Apostolico Montis Quirinalis coram
Sanctiss. D. N. D. Alexandro Diuina prou-
dentia Papa VII. ac Eminentiss. & Reue-
rendiss. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota
Republica Christiana aduersus hæreticam
prauitatem Generalibus Inquisitoribus à
Sancta Sede Apostolica specialiter Depu-
tatis.



Sanctissimus D. N. audiuit, non
sine magno animi sui merore,
complures opiniones Christia-
na Disciplina relaxatas, &
Animarum perniciem inse-
rentes, partim antiquatas ite-
rùm suscitari, partim nouiter prodire; Et
summam illam luxuriantium ingeniorum
licentiam in dies magis excrescere, per quam
in rebus ad conscientiam pertinentibus mo-
dus opinandi irrepsit alienus omninò ab
Euangelica simplicitate, Sanctorumque Pa-
trium Doctrina, & quem si pro recta regula
fideles in praxi sequerentur, ingens eruptum
esset Christiana vita corruptela. Quare,

*ne ullo vnquam tempore viam salutis quam
 suprema veritas Deus, cuius verba in ater-
 num permanent, arctam esse definiuit, in ani-
 marum perniciem dilatari, seu veriùs peruer-
 ti contingeret, idem Sanctissimus D. N. vt oues
 sibi creditas ab eiusmodi spatiosa, lataque, per
 quam itur ad perditionem, via, pro pastorali
 sollicitudine in rectam semitam euocaret,
 earundem opinionum examen pluribus in
 Sacra Theologia Magistris, & deinde E-
 minentissimis, et Reuerendissimis DD. Car-
 dinalibus contra hæreticam prauitatem
 Generalibus Inquisitoribus seriò commisit:
 Qui tantum negotium strenuè aggressi, eique
 sedulo incumbentes, et mature discussis vs-
 que ad hanc diem infrascriptis propositioni-
 bus, super vnaquaque ipsarum sua sus-
 fragia Sanctitati Sua singillatim exposue-
 runt.*

1 Homo nullo vnquam vitæ suæ tempore
 tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex
 vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes per-
 tinentium.

2 Vir equestris ad duellum prouocatus, po-
 test illud acceptare, ne timiditatis notam apud
 alios incurrat.

3 Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum
 prohibere absolutionem hæresis, & aliorum cri-
 minum, quando publica sunt, & id non deroga-
 re facultati Tridentini, in qua de occultis cri-
 minibus sermo est, anno 1629. 18. Iulij in Con-
 cistorio Sacræ Congregationis Emin. Cardina-
 lium visa, & tolerata est.

4 Prælati Regulares possunt in foro con-
 scientiæ absoluerè quoscumque sæculares ab

hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incurfa.

5 Quamuis euidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6 Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione; ac proinde non est denunciandus.

7 Modus euadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est; Si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hinc potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8 Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsius Celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9 Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, alia parte stipendij sibi retenta.

10 Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificijs stipendium accipere, & sacrificium vnum offerre; Neque etiam est contra fidelitatem, etiam si promittam, promissione etiam iuramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11 Peccata in Confessione omiffa, seu oblita ob instans periculum vite, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti confessione exprimere.

12 Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reseruatjs, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13 Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo iniuste reprobata.

14 Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15 Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16 Qui Beneficium curatum habent possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17 Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem graua crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, vti suppetere, non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel eius Religioni publicè, & coram grauissimis Viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18 Licet interficere falsum Accusatorem, falsos testes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19 Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Vxorem in adulterio deprehensam.

20 Restitutio à Pio V. imposta Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Iudicis, eò quod sit pœna.

21 Habens Capellaniam collatiuam, aut quoduis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22 Non est contra iustitiam Beneficia Eccl-

eleſtaſtica non conferre gratis, quia collas conferens illa beneficia Eccleſiaſtica pecunia interueniente non exigit illam pro collatione Beneficij, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23 Frangens ieiunium Eccleſiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, niſi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat puta, quia non vult ſe ſubijcere præcepto.

24 Mollities, ſodomia, & beſtialitas ſunt peccata eiſdem ſpeciei infimæ, ideoq; ſufficit dicere in Confeſſione, ſe procurariſſe pollutionem.

25 Qui habuit copulam cum ſoluta, ſatiſfacit Confeſſionis præcepto, dicens commiſi cum ſoluta graue peccatum contra caſtitaſtem non explicando copulam.

26 Quando litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ſerenda ſententia in fauorem vnius præ alio.

27 Si Liber ſit alicuius iunioris, & moderni debet opinio cenſeri probabilis, dùm non conſtet, reiectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbableem.

28 Populus non peccat, etiamſi abſque vlla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum ſimilium Propoſitionem examini cura, & ſtudium impenditur, interea idem Sanctiſſimus re mature conſiderata ſtatuit, & decreuit, prædictas Propoſitiones, & vnamquamque ipſarum, vt minimum, tanquam ſcandalofas, eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, at prohibet:

ut quicumque illas, aut continentim, aut diuifim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (praterquam in articulo mortis) ab alio quocumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolui.

Insuper districtè in virtute sancta obedientia, & sub interminatione Diuini Iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne predictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Ioannes Lupus Sanctæ Romanæ, & Vniuersalis Inquisit. Not. &c.

Loco † Sigilli.

Anno à Natiuitate D. N. IESV Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto, Indictione tertia, die verò 2. mensis Octobris, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris D. N. D. Alexandri, diuina prouidentia Papæ VII. anno vndecimo, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in alijs locis solitis, & consuetis Urbis per me Carolum Melanum eiusdem Sanctissimi D. N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

ALIVD

ALIVD DECRETVM

SS. D. N. ALEXANDRI VII.

Feria V. Die XVIII. Martij 1666.

In Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. ALEXANDRO Diuina Prouidentia Papa VII. ac Eminentiss. DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana aduersus hæreticam præuitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter Deputatis.



Antissimus D. N. post latum Decretum die 24 Septembr. proximè elapsi, quo viginti octo Propositiones damnata fuerant: examinatis sedulo, & accuratè usq; ad hanc diem infrascriptis alijs quadragesimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magistros, ac per Eminentissimos, & Reuerendissimos DD. Cardinales aduersus hæreticam præuitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia singillatim super unaquaque ipsarum audiuit.

Propositio 29. In die ieiunij, qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit ieiunium.

30 Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione ieiunij; nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum ieiunio.

31 Excusantur absolutè à præcepto ieiunij omnes, illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter vnius diei conficiant.

32 Non est euidens, quod consuetudo non comedendi oua, & lacticia in Quadragesima obliget.

